

1741.

1. Alberti, Michael: *De lactis suspecte praesentia in inuptis.*
- 2^a = Bochmerus, Justus Henningius: *De jure futuro.*
3. Bochmerus, Justus Henningius: *De testamentis mulierum.*
4. Gasserus, Simon Petrus: *Defensio sub formula Regulæ.*
5. Hackman, Jo. Gottlieb: *Culparam methodo demonstrativa pectractam . . . defendit*
6. Funckerus, Joannes: *Dissertatio iuris. medico, qua de calculi curations nova, ruper in Bruxellis publicata modeste signatur.*
7. Funckerus, Joannes: *De ictero.*
8. Funckerus, Joannes: *De nova methodo curandi epilepsiam sive specificis.*
9. Funckerus, Joannes: *No doloribus capitis, scordalo mesenterum difficulter removendo.*

10. Knorre, Carolus Gallius: Usus paroemiarum juris
Germanici. Der Urteilethat die Thür zu successione
conjugum demonstrat simulque praecellentes juris
Germanici personam. Nobisnum behontas studiorum
iurislati . . . indicat.
11. Leidenport, Dr. Grull: De motibus corporis humani, qui
sunt in proportione harmonica praescitum ossibus
et febris.
- 12^a = Lüderig, Joannes Petrus, de: Differentias iurium
Romani et Germanici in pactis et iurisdictiis horum
. . . respondebit.
13. Lüderig, Joannes Petrus, de: De iuri gentium Caesareorum
Vom verlegten Pöbeln-Recht.
14. Rose, Christianus: Dissertatio nova sollemniae de
magistris contraria merita curato defendit.

32.

1749,2

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
I V R E F V T V R O

QVAM

PRAESIDE

REGIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE
Dn. IVSTO HENNINGIO BOEHMERO ICTO
POTENTISS. BORVSS. REG. A CONSIL. INTIM.
ET ORDINIS ICTORVM VICARIO PRAESIDE P. P.

D. XXX, IVNII A. G. MDCCXL.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

H. L. Q. C.

SUBMITIT

A V C T O R

LEONHARDVS REINHARDVS A DIEST
EQVES CLIVENSIS.



HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

DISSEMINATIO IARHICIA
38
IARHETUTARIO

PER TITULUM
REGIAE LIBRERIAE IMPERICIAE
DNI VITO HENRICIO DUCHMBO 1650
NOTIZIE DISSIMILATISSIMAE AESTIVAE
ATQVINIS GESTARUM IN PRAESERTIM
TAM SED ET QVOTIDIANA
HABITUS ET MODO
H. C. G.
S. V. T. S.
F. A. G. T. S.
F. O. R. S. C. T. S.
LEONHARDUS RAINHARDUS DICT
POTERI CIVITATIS



ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,
DOMINIS

CAROLO, S. R. I. COMITI DE WIED,
DOMINO IN RVNCKEL ET YSENVRG ETC.

SACRAE ROMANAECAESAREAE, ET REGIAE CATHOLICAE
MAIESTATIS CONSILIARIO ACTVALI INTIMO,

NEC NON
CAMERAECAMERAE IMPERII PRIMO PRAESIDI,

ET

AMBROSIO FRANCISCO
FRIDERICO CHRISTIANO
ADELBERTO,

S. R. I. COMITI DE ET IN VIRMONT,
ET

BRETZENHEIM,

LIBERO BARONI IN NEERSEN, ANRATH, DVNCK,
ZOPPENBROICH, NORDENBECK ET GVNDRINGEN,
ADVOCATO HEREDITARIO IN VRDINGEN,

DOMINO LIBERI COMITATVS SCHOENAV, BLADENHORST, DÜRRENHART,
CLOERATH, HÜLDONCK, COLLENVRG, BROICHHAVSEN, ETC.

SACRAE ROMANAECAESAREAE ET REGIAE CATHOLICAE
MAIESTATIS CONSILIARIO ACTVALI INTIMO,

NEC NON

CAMERAECAMERAE IMPERII SECUNDOPRAESIDI,
MAGNO COMMENDATORI ORDINIS SANCTI ARCHANGELI MICHAELIS,
INFERIORIS SAXONICI, WESTPHALICI IMPERII COMITVM COLLEGII
DIRECTORI ETC.

DOMINIS AC PATRONIS SVIS
LONGE GRATIOSISSIMIS.



Extimesco omnino, ILLVSTRIS-
SIMI COMITES, ac vereor, vt
par est, magnopere; ne temeritatis notam
incurram apud quoscunque, qui me NOMI-
NA VESTRA ILLVSTRISSIMA leuidensi
huic specimini laboris academici praefixisse,
conspeturi sunt. Nec ego quidem diffiteor,
me tale quid hac audacia suscepisse, quod
vix excusationem meretur. In promtu ta-
men

men sunt nonnulla, quae animum fluctuantem quodammodo erigunt, ac veniam mihi vnicē ex VESTRA inusitata indulgentia pollicentur, optime conscio, nihil facile proferri in medium potuisse, quod VESTRA, Maece-
nates summi, attentione dignum censeatur. Omnis ergo conaminis mei venia speranda ad VESTRAM vnicē recurrit gratiam, quam ferio efflagitantes repulsam ferre haud solent. Ad VESTRAM enim quotidie populi, gentes, prouinciae atque omnis ordinis homines tutelam configiunt, ac fortissimum salutis suae praesidium expetunt a VOBIS, tam illustris collegii PRAESVLIBVS. Validissimum hoc VESTRVM patrocinium ac parata cuilibet gratia, animum quoque induxit meum, vt leuidenses hasce pagellas, oculis licet VESTRIS plane indignas, ILLVSTRIS-
SIMIS NOMINIBVS sacras submissae dicarem, eandemque, qua haec tenus matrem meam dignati estis, gratiam humillime simul expeterem mihi, patre et auxilio orbato, praesidioque vestro me penitus submitterem,

) (3

quod

quod roboris tanti est, vt me spe illius iam
penitus sustentatum esse habeam persuasissi-
mum. VESTRA enim, ILLVSTRISSIMI
tam splendidi collegii ANTISTITES, tanta
est auctoritas, tanta tam ratione natuitatis,
quam dignitatis et meritorum praerogatiua,
vt ad eam debit is coloribus, debito modo de-
pingendam, et extollendam me longe impa-
rem iudicem. De ILLVSTRISSIMA gen-
te comitum DE WIED multa referre, idem
esset, ac nota prudentiori cui libet narrare.
TV enim, ILLVSTRISSIME COMES, ma-
iores TVOS in catalogo archiepiscoporum
Coloniae et episcoporum Monasterii cernis
esse conspicuos. In tantam TVA GENS
excurrit antiquitatem, vt vltra quatuor se-
cula in illam aditus pateat. Augustissimae
domui Austriacae officia comitum DE WIED
in bello non minus, quam pace, sunt probatis-
sima. TV ipse, ILLVSTRISSIME COMES,
patriae in bello non minus fuisti vtilissimus,
quam in rebus publicis gerendis iam es praef-
stantissimus. Non minor TVAE, ILLV-
STRIS.

STRISSIME COMES DE VIRMONT, familiæ est splendor, qui tamen merita gentis non adaequat, quæ in nouissimis præsertim temporibus in Augustissimam redundant domum Austriacam. In recenti adhuc memoria sunt insignia, quæ patruus TVVS DAMIANVS HVGO DE VIRMONT patriæ apud exteræ gentes præstítit officia, in splendidissima Imperatoris Romani ad Turcas legatione, quibus TVA iure meritoque aequiparanda, atque re vera aequiparauit inuictissimus beatissimæ memoriae Imperator CAROLVS VI. dum TIBI præsentem, in qua iam constitutus es, prouinciam contulit, maius decus sine dubia TIBI adhuc collatus, si vixisset. VOS igitur, ILLVSTRISSIMI COMITES, patriam non minus nobilitate decoratis, quam meritis præstantissimis eam VOBIS redditis obstrictissimam. Hasce ergo, INSIGNES IVSTITIAE MODERATORES, laboris mei primitias, in submissio-
nis atque obseruantiae monumentum VO-
BIS oblatas, gratiosa mente, VOBIS propria,
excit.

excipite, ac grauissimo VESTRO patroci-
nio dignemini auctorem, qui, quantum in se
est, nunquam non erit praefantissimorum
meritorum, et

ILLVSTRISSIMORVM
ATQVE
EXCELLENTISSLIMORVM
NOMINVM VESTRORVM

Hala d. xxiii. Iun.
M DCCXL.

cultor obsequiosissimus
ac deuotissimus

REINHARDVS LEONHARDVS A DIEST.



CAPVT PRIMVM.

AN ET QVATENVS PRO IVRE
FVTVRO DECLARANDO AGI
POSSIT?

§. I.



Affim quidem Doctores *iuris futuri* Occasio argu-
faciunt mentionem, idque secun mensi.
dum *iuris communis* principia in iu-
dicio deduci non posse, commu-
niter adserunt; plenioram tamen at-
que ad specialiora deductam tra-
ctionem nondum offendit. Non ab-
re igitur mihi visum est, in hoc stu-
diorum meorum specimine de hoc argumento quaedam
delibare, atque praecipua de eo, non leuibus tricis in-
voluto, hinc inde per omnes iuris nostri partes sparsa pro
viribus colligere, atque in eis digerendis et componen-
dis vires meas experiri. Commode vero in duo capita et diuisio.

A

haec

2 CAP. I. AN ET QVATENVS PRO IVRE FVTVR

haec tractatio dispesci poterit, ita ut capite primo quaestio,
an et quatenus pro iure futuro declarando agi possit, expo-
natur: capite secundo remedia et modi praecipui ex iuri-
bus CIVILI, CANONICO, FEVDALI ET PUBLICO, qui-
bus ius futurum quoquo modo conseruari possit, exhibeantur.

§. II.

*Quae principia
praemittenda.* Ex principiis igitur ut res suis deducatur, *conceptus*
iuris futuri eruendus ante omnia, praesertim quum ambi-
guam habeat significationem: qua non evoluta, in varia
discrimina facile incidere posset dissertatio. Praeterea ge-
neralis explicatio naturae actionum, *quaeformant iudicium*,
praemittenda erit paucis. Ex regula enim atque princi-
pio accurate stabilito conclusiones prono alueo fluunt, et
felicior deinde ad rem ipsam enucleandam fieri potest
progressus.

§. III.

*Iuris futuri
gradus.* FVTVRVM quidem in genere dicitur, quod pos-
sibile in se quidem est, et existere aliquando potest, sed
nondum est, quo in sensu *futura esse incerta* dicuntur
ARISTOTELI, *Ethic. i.*, nec non *casus futuri* inter incerta
referuntur, et *fortunae nominatione* veniunt. (a) Hoc
loco vero, vbi *de iure futuro*, h. e. de facultate morali ali-
quid ab altero in futurum exigendi vel adquirendi agi-
mus, ius tale futurum praesupponimus, cuius 1) funda-
mentum aliquod in praesentiam adeat, sed existentia ipsius
iuris a futuro eventu dependet: vel 2) cuius fundamen-
tum plenum et sufficiens adeat, fruitio autem eiusdem a
futuro

(a) Ut in *I. i. §. ii. D. de magistr. conu.* vbi dicitur: *Non enim de-
bet magistratus FVTVR OS CASVS et FORTVNAM pupillo
praestare.*

futuro dependet euentu: vel 3) denique cuius tantum *exactio* in praesenti deficit, sed in futurum diem certum dilata. Primo casu ius futurum tantum *probabile* est, quia *fundamentum sufficiens*, quod ad eius existentiam realem desideratur, adhuc deficit, nec omnia, quae ad *fundamentum* eius *sufficiens* necessaria sunt, adsunt, quaedam tamen, quae illud in futurum plene fundare possunt, tantum in praesenti deprehenduntur. (b) Ita futura *successio* heredis in testamento instituti nondum *certa* sed *probabilis* tantum est, licet testamentum iure perfecto conditum, et testator senio *confectus* fuerit. Neque enim omnia, quae ad successionem requiruntur, iam adsunt, sed *fundamentum dantaxat* aliquid, non tamen *sufficiens* et *completum*, quod adhuc tum mors testatoris, qua testamentum confirmatur, tum voluntas testatoris constans, in eadem permanendi sententia, tum denique voluntas heredis adeundi hereditatem, et quod testatorem superuixerit, necessaria sit. Pariter cui sub conditione debetur, spem obligationis tantum habet et sic ius futurum *probabile*. Secundus casus ius quidem perfectum et radicatum praे-

A 2 suppo-

(b) Ita et illustr. D.N. WOLFIUS in *metaph.* §. 399. id quod *probabile seu verosimile* est, definit, cuius quidem aliquod *fundamentum adest*, sed omnia requisita ad veritatem necessaria adhuc deficiunt, ut certitudo rei deficit. Omnia futura sunt contingentia, et licet quaedam futura certa sint, veluti hominem hunc vel illum moriturum esse, hora tamen mortis incerta, licet plerumque modus futuri obitus probabilis sit, ex conditione corporis humani, unde probabilitatem trahimus. Qui nullum plane *fundamentum iuris futuri* habet, spe inanipascitur, aureosque montes sibi promittit, h. e. nihil seu merum phantasma. Ceterum *emotioni spei*, quam Icti vocant, non omne deficit *fundamentum*, veluti si iactum retis emeris, quia plura iam ad capturam piscium *probabilem*, licet non omnia complete adsint.

¶ CAP. I. AN ET QVATENVS PRO IVRE FVTVR

supponit, vt possessori interuerti et adimi haud possit, licet, vtrum ipsem et eo in futurum frui queat, probable tantum sit, et ex aliquo euentu v. c. mortis, dependeat. Etenim successor feudalis *ius succedendi* ex pacto et prouidentia primi adquirientis habet. ipsa autem successio rursum quoad *tempus probabilis* tantum est, quia non omnia, quae ad eius fundamentum desiderantur, complete iam adfunt, sed a futuro mortis possessoris sine liberis masculis euentu multum dependet. Incertum enim adhuc est, vtrum praefens possessor liberos masculos post se relicturus sit, successor feudalis vero eum superuixerit, et ita in eius descendantibus demum casus existere possit, quamvis et hic *incertus* sit. Denique tertio casu *ius non probabile*, sed realiter existens et certum adest, licet eius exercitium praefens adhuc desit, ceu docet exemplum debitoris, qui in certum diem, seu quando tristes venere kalendæ, debet. Cessit enim eius nominis dies, et illud re vera adest, vt cum effectu de eo disponere, et hoc nomen in alterum transferre possit, licet nondum dies eius venerit, vt cum effectu ad eius exactiōnem ante diem agi nequeat, et hoc intuitu *secundum quid ius futurum esse dicatur*. Sicuti itaque tribus veluti gradibus *ius futurum* considerari potest, et *a iure praesenti perfecto*, cuius exactio seu exequutio in praesenti adest, distinguitur, ita generatim *IUS FUTVRVM* dici potest *facultas moralis*, cuius fundamenta *ad plenam exactiōnem et fruitionem necessaria non adfunt*.

Definizio.

*Ius futurum
vel certum vel
incertum.*

§. IV.

Prouti vero *gradus probabilitatis* ratione futurae iuris exactiōnis maior vel minor est, ita etiam *CERTVM* vel *INCERTVM* dici potest. Licet enim *ius*, cuius in praesenti exactio nondum adest, sed *vt futura* demum consi-

consideratur, *certum* vix dici debeat, quum mors, aliaeque rerum vicissitudines, quibus omnia in mundo sunt exposita, iuris quantumcunque probabiliter sperati, existentiam atque exsequutionem interuertere valeant, *respectu* tamen et intuitu *iuris futuri magis incerti*, quodque non tanto probabilitatis gradu fulcit, *ius futurum certum* suo modo dici debet. Quo sensu *ius futurum* in *certum* et *incertum* dividere non dubitauimus. *Ius* igitur *futurum certum* (c) dici potest, vbi fundamentum iuris perfecti de *praesenti* iam adest, plena vero eiusdem fruitio atque exsequutio adhuc in pendent est ac differenda, veluti in mortem possessoris *praesentis feudi* vel *fideicommissi*, qui me a successione, proximiore alio non existente, excludere nequit. Tale itaque *ius aliquod* iam fundatum habent adgnati in feudo et *fideicommisso*, qui *ius certum quoddam ac determinatum*, a primo adscendente vel *fideicommissi conditore* iam habent, quod sibi suisque a posse-

A 3

(c) Alio sensu dicitur *certum*, de cuius existentia iam certo constat; *incertum* est, quod adhuc ignoratur, licet in se *certum* sit, *certi et incerti* et in *futurum* in notitiam demum veniat. Sic vxore praegnante *Varius vocis significatus*. *incertum* est, quot nascituri sint, nec enim rerum naturam intuendam, in qua omnia certa essent, cum futurae utique fierent, sed nostram infidiciam aspici debere, ait I^cTUS in l. 28. in f. D. de iud. Pariter, si quis id, quod ex Arethusa natura est, dari sibi stipulatus est, ipsa natura manifestissimum esse, ait V^lPIANVS in l. 75. I^s. 4. D. de V. O. incerti hanc esse stipulationem, licet in se numerus foetus eiusque qualitas certitudinem habeat. Sufficit enim, quod respectu nostri adhuc, quot nascituri sint, *incertum* sit. *Quod futurum est*, ait DION. GOTHOFR. ad l. 100. D. de V. O. lit. z. necesse non est euenire, cum possit non euenire: et *incertum* id est, nec verum nec falsum. Hac est sententia Aristotelis, Chrysippi et Stoicorum omnium, quam IC*ti* sequuntur, qui fere omnes a Stoicis instituti sunt.

6 CAP. I. AN ET QVATENVS PRO IVRE FVTVR

possessoribus adimi nequit. Praesertim si in feudo similitanea inuestitura accesit, per quam inuestiti in communione quandam iuris inducuntur, quorum iura infra cap. 2. pluribus explicatur. *Incustum* ius futurum dici potest, vbi quidem spes aliqua iuris adeat de praesenti, cuius existentiam futuram merito sperare licet, eius existentia tamen a futuro incerto dependet euentu, quod et *ius spei ac conditionale* dici potest, nec omni caret effectu; spes enim, debitum iri, pendente conditione iam quaesita est creditori, adeo, ut etiam eandem spem ad heredes transmittat. §. 4. *Infl. de V. O.* et §. 21. *Infl. de inut. slip.* Minus iuris futuri habet legatarius, cui legatum sub conditione, praecipue casuali et mixta relictum, et heres sub eadem institutus, qui ius multo incertius habet, quam creditor conditionalis, quippe qui *spem legati et hereditatis* in heredem non transmittit, sed eo mortuo ante conditionis euentum ius omne extinctum est. Est autem *CONDITIO adiecio ceriae alicuius circumstantiae, sub qua heredis institutio differtur in futurum casum incertum, donec existenterit.* Proinde conferenda in casum futurum; nam in praeteritum vel praesens collata institutio non est conditionata. §. 6. *infl. de V. O.* Et quamvis per d. §. 6. *infl.* et l. 16. D. de ini. rupt. irr. test. conditions vel in praesens, vel in praeteritum vel in futurum conferantur, eae tamen denum potestatem conditionum obrinent, que in futurum conferuntur, vt difteritis verbis ait PAPINIANVS in l. 39. D. de R. cred. in futurum autem collate conditiones existere possunt, licet non existenterint, vt sunt verba l. 16. in f. D. de ini. rupt. irr. test. Ita et conditio suspensiua pacto adiecta actum plene perficiendum confert in futurum euentum per l. 7. pr. D. de contract. emt. ita vt pendente conditione ius quoque tam obligationis quam praestationis in pendent sit, l. 26. C. de fidei.

fidei. nec cesserit nec venerit dies. l. 213. D. de V. S. Condicio igitur nihil in esse ponit, atque obligationem tanquam in vero materno latere facit, vt ait CARPZ. P. III. c. 9. def. 18. n. 3. Amplissimus de conditionibus in futurum collatis disserendi hic pateret campus, de quibus tamen ex professo agere non est nostri propasiti, atque sufficere visa sunt generalia quaedam ad thematis nostri illustrationem, quod fertile satis ac late sepe diffundens, moras necesse in accidentalibus non permittit.

§. V.

Praeterea vero, antequam ad examen prae sentis argumenti progrederi, paucis actionum natura euol- *Naturae actionis consideratio succincta.*
venda. Scendum itaque, ACTIONES dicius persequen-
di in iudicio, quod sibi debetur (ex iure vel in re vel ad rem) pr. insl. de act. l. 178. §. 2. D. de V. S. Dum persequi ius inten-
dit actor, id ea intentione facit, vt reum fugientem ad iuris, quod persequitur, præstationem adigat. Ius igitur præsens actoris adesse debet, ad quod eum compellere per viam exequutionis quaerit, et quum actio sit remedium iuris, manifestum est, ex legibus, quae ius præsens perfectum alicui tribuunt, tantum actiones nasci, et absque horum adiumento in foro externo deficere auxilium iudicis. Obiectum actionum est id, quod debetur, seu quod ex quocumque iure perfecto de præsente ab altero, qui contradicit actori, exigere potest. Vnde actio competere nequit, nisi actor habeat ius petendi præsens ab aduersario, quod alioquin hic eum a limine iudicii repellere possit exceptione nondum competentis actionis.

§. VI.

Quum ergo verum actionis fundamentum sit ius præsens actoris in iudicium tantum deducibile, nemo vero secundum l. 6. §. 12. D. de neg. gesl. sine actione expe- *Inde colligitur
pro iure futuro
declarando
actionem non
nasci;*

8 CAP. I. AN ET QVATENVS PRO IVRE FVTVRO

riatur, prona inde nascitur conclusio, de iure futuro tam in primo, quam in secundo et tertio casibus supra §. III. ad ductis actionem regulariter non competere, sed eam tanquam paradoxon, et iuris rationi aduersum dogma a legibus reprobatam. Iudices itaque eiusmodi actorum libellos tanquam ineptos et non concludentes ex officio reiicere, agentesque statim a limine iudicii repellere debent. v. GAIL. lib. 2. obs. 74. n. vlt. MEV. P. III. dec. 145. Inter praecipua actionis super iure futuro reprobatae argumenta referri potest, (1) notabile effatum! Cti in l. 35. D. de iud. quo rotunde adserit, *iudicium antequam aliquid debeat, accipi non posse.* (2) Egregie hanc in rem edissebit POMPONIVS in l. 45. §. 1. de leg. 2. et disertis verbis ait: *si sub conditione vel ex die certa nobis legatum sit, ante conditionem vel diem certum repudiare non possumus, nam nec pertinet ad nos, antequam dies veniat, vel conditio existat.* Eandem sententiam (3) fouet PAPINIANVS in l. 42. §. 2. D. de bon. libert. vbi eleganter respondebat, *cum praecedit alia possessio, qui sequitur, accipere non potest ac differri controuersia debebit, donec nimurum dies veniat, vel ius praefens existat.* Quomodo enim (4) super futuro, quod nondum est, sed esse speratur, fundari potest iudicium? uti expresse dispositum reperitur in l. 1. §. 2. D. de vir. a PAVLO; *Quid enim pertinet ad officium iudicis, post condemnationem, futuri temporis tractatus?* Idem (5) sensus est l. 14. §. 2. D. de aq. plau. arc. et l. 23. D. de iud. Nec deficit huic sententiae adplausus doctorum probatissimorum, inter quos primo loco mihi nominandus est IOH. DEL CASTILLO A SOTO MAYOR quotid. controuers. lib. V. c. 93. §. 14. qui praeterea ingenitem, pro more, cohortem interpretum in scenam producit. Eaedem legum dispositiones KNIPSCHILDIVM de fidei. fam. cap. 13. n. 45. et 46. eandem amplecti sententiam

et iuris interpretes.

tiam fecerunt, cuius septentiae accedit GAIL. lib. II. obs. 74.
 n. 1. vnde et recte MEVIVS P. VII. dec. 343. n. 1. et 2. ait: profu-
 turo, antequam exsistit, non habetur in iudiciis ratio. Conferri
 etiam hoc loco meretur LYNCKER de grau. extra*i. cap. III.*
P. 3. §. 2. n. 4. et 5. atque adeo actio aut obligatio nondum
 nata exerceri non potest, vt colligere licet ex l. 213. pr. D.
de V S. Optime ergo respondit IAC. MENOCHIVS *conf.*
1195. n. 30. lib. 12. fol. 176. super iure futuro agi non posse.

§. VII.

His suppositis, discuti et sine difficultate solui poterit quaestio, vtrum is, cui spes est proxima succedendi in bona, iure primogeniturae vel maioratus, apud Hispanos celebris, adfecta, viuente ultimo possessore, actione instituta a iudice exigere possit declarationem futurae successionis post obitum iam possidenti? Quae quaestio multiplicem praeterea usum praefat a) in bonis feudilibus, si agnati feudum masculinum esse contendunt, quod possessor feudi in fauorem filiarum femininum esse praefracte asserit. b) In bonis fideicommissariis, si de qualitate eorum inter possessorem et agnatos extrajudicialiter contenditur, illo qualitatem gentilitiam negante, quam agnati strenue afferunt, et sibi post mortem deberi contendunt. Quodsi ergo possessor fideicommissi quaedam alienauerit, quaestio emergit, vtrum proximus inter agnatas statim agere et declarationem fideicommissi familie petere possit? c) Usus praeterea habet in bonis emphyteuicariis, legatis sub conditione vel in diem incertum debitum alios que, quae sub certa qualitate, dubia tamen et controversa, possideri dicuntur. Circa haec et similia potissimum versatur argumentum huius capituli, cuius sententiam iam §. antec. ex legibus exploratam dedi, quae praeterea,

B

terea,

*Applicatio hu-
ius doctrinae ad
bona maioratus
et primogeni-
turae,*

*fideicommissa-
ria,*

*emphyteuica-
ria et legitata
conditionalia.*

10 CAP. I. AN ET QVATENVS PRO IVRE FVTVR

terea, tum et natura ipsius *actionis*, tum ex indeole *iuris* futuri ipsa demonstrari et illustrari potest.

§. VIII.

Ergo futurus
successor ad de-
clarandum ius
futurum agere
nequit.

Ad quaestione motam itaque quod attinet, ex paullo ante adductis satis adparet, ultimo possessore bonorum, quorum successio futura ab antecessoribus legitime determinata est, adhuc viuente, proximiores, qui forsan in futurum de successione inter se contentionem metuunt, eamque ob causam per item praesentem item futuram, forsan grauiorem, effugere intendunt, super iure futuro et conditionali, cuius existentia adhuc dubia, agentes, in iudicio non audiendos esse, quum iudicium, antequam aliquid debeatur, accipi non possit per pr. *inflit. de act.* Idem ius in bonis maioratus obtinere late probant CASTILLO A SOTO MAYOR *quotid. controu.* cit. l. n. 10. et LVDOV. MOLINA *de primogen.* Hisp. lib. III. cap. 14. n. 10-17. a quibus non dissentit KNIPSCHILD. *de fideic. fam. cap. 13. n. 48.* vbi tradit, *de iure primogeniturae eiusque futura successione vito possessore actionem institui non posse, idemque obtainere in successione fideicommissi.* Plures ibidem memorabiles eiusdem sententiae auctores allegavit, quorum loca euoluere licet, quae exscribere noluimus, cum hic non tam auctoritatibus, quam rationibus sit pugnandum. Neque enim ante ipsius fideicommissi delatam successionem proximitas respicitur et fortitur effectum, vt pluribus docet KNIPSCHILD c. l. n. 47. *absurdumque insuper reputat l. 63. §. 7. D. ad SCium Trebb. plus tribui a praetore ei, qui fideicommissum petit, quam testator voluit.* Quod vtique fieret, si fideicommissarius ante conditionis aduentum in iudicio admitteretur, cuius voluntatis exactam obseruantia tam seuere inculcant l. n. §. 19. *de leg. 3. l. 28. pr. C. de episc. et cler.* l. 19. *pr. D. de cond. et dem.* Non etiam leue praefidium haec

haec sententia habet in *I. 52. de leg. 2. vbi dicitur; Non oportet prius de conditione cuiusdam quaeri, quam ad eum hereditas legatumue pertineat.* Reprobatae praeterea sunt singulatim in iure praematurae eiusmodi petitiones arg. *I. 1. §. 21. D. de collat.* vt actor merito a linine iudicij repellendus sit. Conf. ARIAS PINELLVS *lib. I. P. 3. n. 78.* Nec aliud dicendum, etiamsi spes adsit successionis quam proxima et immediata, ira vt fallere vix possit, *TIRAQVELL. in LL. connub. glossa 2. n. 1. sq. RVINVS in conf. 104. n. 4. conf. 295. n. 5.* Iuris enim successionis exsistens praefens nihilominus adhuc incerta est, cum, licet etiam probabilis status quidam futurus hominis videatur, non tamen mutationibus et vicissitudinibus multis, quibus negotia humana sunt obnoxia, careat. Spes igitur successionis quantumcunque proxima et immediata iudicium de futuro et conditionali validum reddere non poterit. Nec valide argumentum ducitur a deuolutione iuris succedendi proximi ad heredes, quod demum effectum, die successionis veniente, fortitur: ad actionem autem super iure futuro et conditionali, possessore adhuc vitam agente, fundandam non sufficit.

§. IX.

Noua quoque ratio huius iuris, et praecipue *d. l. 35. D. de iud. peti inde quoque potest, ne contra I. 75. D. de iud. et l. n. §. vlt. de recept.* iudicium fiat elusorium. Ex quo fundamento KNIPSCHILD. c. *I. cap. 13. n. 44. iudicium*, ait, *regulariter fundari non potest super petitione, qua admissa, iudicium ipsum ex aliquo post facto inane et frustratorium reddi potest.* Omni autem modo cauendum, ne iudicium fiat elusorium, et executio reddatur inanis, vti sunt verba GAIUS lib. *I. obs. 148. n. 2. et lib. I. obs. 15. n. 3. et 4. vbi et plurima legum reperiuntur munimina.* Quodsi autem

B 2

super

super viuentis possessoris futura successione disceptari in iudicio liceret, non posset non saepius iudicium fieri elutiorum ac inane, cum status rerum ex tempore non semel soleat variare. Ponamus etiam, litigantem tempore litis motae proximiorem esse in fideicommisso: nondum tamen extra fati aleam est positum, alium interim proximiorem litigantem tempore mortis existere posse; quid quod et euenire posset, vt fideicommissi possessor *prae sumitiui successoris* funus praeter spem et opinionem sequetur, adeoque saltim respectu eius personae frustra fuisse iudicatum. Copiose de hoc verba facit KNIPSCHILD loco modo cit. Conf. etiam MOLINA lib. III. cap. 14. n. 10. sqq. Dependet eiusmodi successionis ius, quantumcunque probabiliter exsistit, semper ab incerto aliquo futuro mortis aliorumque casuum euentu, et sic ante successio nem vacantem, et mortem grauati actio non est nata, adeoque agendi ius antea non exsistit, quia incertum est plane iudicium, quod innuere videntur l. 36. D. de R. cred. l. 94. D. de A. vel O. her. l. 7. §. f. D. de lib. leg.

§. X.

Locum ergo habet exceptio non competenti actionis et plus positionis, differentia inter haec exceptiones.

Quocirca qui de iure futuro agit, subiectus est exceptioni *nondum competentis actionis*, et quandoque *plus petitionis*. Illa generalis est; haec specialis, et tunc praecipue locum habet, si ante diem, quo solutio facienda, agitur, quia *plus petere videtur, qui praemature petit*. §. 33. *inst. de act.* Olim tamen magna erat differentia inter eum qui ante diem, quo solui deberet debitum, et qui ante conditionem *exsistente* agebat. Etenim qui ante diem petebat, causa cadebat, quod plus peteret, nec existente die olim agere poterat. §. 10. *inst. de except.* Ideo autem plus petebat, quia, quod in diem debetur, re vera iam debetur, sed exactio demum in futurum tempus dilata,

in

in commodum debitoris, quod interuertere nititur actor reo. §. 2. *inf. de V. O.* Enimuero qui pendente conditione agebat, frustra et nihil agebat, ac exceptione nondum competentis actionis repellebatur, quamvis existente conditione adhuc valide agere possit *l. 21. D. desolut.* Quod enim nulliter factum, pro infelio reputandum erat. Hoc discrimen *IVSTINIANVS in §. 10. infit. de except.* sustulit, constituitque, vt, qui ante tempus egerit, duplicates inducias postea reo concedere debeat, et hic ab omni actione interim tutus sit. Repetit etiam pontifex eandem duplicates induciarum poenam in *cap. vn. X. de plus petit.* vt antea actor agere nequeat, nisi hae abierint, et expensa temere reo causata refusa fuerint, et itare vera reus ab instantia absolvitur; atque hoc ipsum hodie sufficit, nec induciae amplius duplicantur.

§. XI.

Verum, licet regula, quod actio principaliter su-
per iure futuro moueri non possit, satis fit firma ac iure
probata: non tamen negari potest, quod interdum *ius futurum*
tanquam *accessorium juris praesentis*, vnde agitur,
et tanquam *causa praeiudicialis* in iudicium incidat, quan-
do nimirum de praesenti competit *ius*, vnde valide agi
potest. In eius consequiam autem venit aliud *ius futurum* seu conditionale, vnde quodammodo causae prin-
cipalis decisio pendet. Tunc enim propter *ius* de praesenti
toleratur, vt in eius consequiam *ius futurum* seu
conditionale in iudicium ducatur. *V. PEREGRINVS de fideic.*
art. 41. n. 5. sq. MASTRILLVS decif. 118. n. 15. KNIPSCHILD c. l. cap. 13.
n. 49. et 56. et glossa in l. 1. C. de fideic. Atque de eiusmodi casu
loquuntur fere omnes leges, quas doctores, qui contrariam
sententiam fouent, atque actionem super iure futuro
non plane e iudicio esse proscriptam contendunt, pro

sua sententia allegant. Eas vero ad dictum casum omnino collineare, ex eorum textuum accurato examine distinetè monstrabimus. Et quidem praecipue dissentientes vrgent verba *l. i. C. de fideic.* vbi imp. ANTONIVS; *si probaueris Demetrium petuisse de matre heredequa sua,*
quod illustratur ex l. i. C. de fideicommiss.
ut tibi alimenta menshra, et vestiarium annum praefaret,
eamque secutam voluntatem filii sui per multum temporis, id est,
non minus in tali causa triennio ea praestitisse: vt IN FVTVRUM quoque ea praefentur, imperabat. Permittit ergo hic
imp. agere pro legatis, non solum sibi iam debitis, ve-
rum etiam temporis successu praefstandis. Manifesto au-
tem hoc casu adparet, hic ius praefens et purum principa-
liter fundare iudicium; cui tantum accedit ius futurum
ex praesenti fluens. Declarat hoc GAILIVS 2. obf. 74 n. 2.
et 3. addens: valde absurdum fore, vt quis pro singulis penso-
nibus aut tantum pro iam cessis tempore inchoatae litis peculia-
rem processum instituere deberet; futura enim, quae insunt ac-
cessorie praesenti, veniunt officio iudicis, vt IDEM colligit ex
l. 25. §. 8. D. de aedil. ed. Simili fere modo hunc textum
exponit KNIPSCH. cap. 13. n. 49. vt quando de legatis an-
nuis et menstruis annorum praeteritorum praefstandis iu-
dicatur, corundem in futuros annos praecisa praestatio
legitime simul determinetur, ac reo iniungatur cum ea-
dem corundem ratio sit, et in iudicio obligationes fu-
turae iure connexitatì veniant, de quibus principali iudi-
cio agi non poterat. Optime hoc denique declarat BAR-
TOLVS in l. 35. D. de iud. dicens: Super futuro non potest esse
iudicium, si de praesenti nihil debeatur; sed si aliquid de praes-
enti debeatur, tunc eius ratione sustinetur etiam futurum, oc-
cacione vero iuris de praesenti competentis agitur etiam pro fu-
turo, et hoc modo videtur agi pro praesenti.

§. XII.

§. XII.

Res igitur hic ex *aequo et bono* temperanda, nec regulae, extra omnem fere licet contentio*nis* aleam posita*e*, adeo inhaerend*u*m, vt nullis circumstantiarum variationibus et aequitatis rationibus nos ad aliquam exceptionem defle*cti* patiamur, cum potius exceptio firmet regulam in casib*us* non exceptis. Quamuis ergo actioni super *iure futuro*, iuris et legum dispositione ducti, param fauamus, non tamen thesis nostrae veritate adeo nos cap*i* pati debemus, vt quocunque casu *accessorie* agentem super iure futuro plane repellendum arbitremur. Quin facile largimur, declarationem iuris futuri aliquando vrgeri posse, si nimirum *iusta* et *aequitati consitanea causa* de praefenti in alia omnia ire, et exceptionem a regula aliquanto aberrantem amplecti suadeat. Eiusmodi enim causa tractum etiam futuri temporis spectare facit ad iudicem, vt compellatus sententiam ferre possit, ius succedendi futurum actori post mortem possessoris competere, quamuis sententia haec declaratoria incidenter lata ante casum existentem ad executionem non possit deduci, vt prolixe haec, Hispanorum more, illustrat CASTILLO supra §. 5. cit. loco §. 14. n. 23. illustrat. Sic indubium est, actionem pro cautione fideicomissi nomine competere, vt docet I. i. D. vt leg. seu fideic. seru. caus. car. Quodsi hac mota actione reus qualitatem fideicommissariam neget, necesse omnino est, vt etiam causa futuri iuris accessorie in iudicium deducatur, propter quod actio praesens de caurione praeflanda fundata est.

§. XIII.

Sed adhuc alia dubia prosequar, quae contra regulam a me propugnatam moueri solent. Quidam enim prouocant ad I. i. C. de sent. quae sine cert. quant. prof. in

*Exponitur I. i.
C. de sent. quae
sine cert. quant.*

16 CAP. I. AN ET QVÄTENVS PRO IVRE FVTVR

in qua haec occurunt: cum iudicem quoad pecunia condemnationis soluta fuisse, de pendendis vñris legem dixisse profitearis; Non contra iuris formam sententiam datam palam est. Enim uero hic quadrat eadem responsio quae antea §. XI. ad l. 1. C. de fideic. data, vnde liquet, ex fundamento prae-sentis iuris de futuris vñris iudicem decernere posse, ne quotannis eum super vñris præstandis compellare opus sit. Multo minus contrarium concludi potest ex ver-

item l. 40. ad bis PAVLLI in l. 40. D. adl. aqu. Si deletum chirographum mibi esse dicam, in quo sub conditione mibi pecunia debita fuerit, et interim testibus quoque id probare possim: qui testes possunt non esse eo tempore, quo conditio existit, et si summatis re exposita ad suspicinem iudicem adducam: debeam vincere, sed tunc con-damnationis exæctio competit, cum debiti conditio exsisterit: quodsi defecerit, condemnatio nullas vires habebit. Verum verba legis qui accurate perpendit, sensum ex iis nobis con-trarium vix elicere poterit. Etenim verba: Sed tunc con-damnationis exæctio competit, cum debiti conditio exsisterit, quodsi defecerit, condemnatio nullas vires habebit, satis indi-cant, non hic admitti principaliter actionem super debito conditionali ante conditionem existentem, sed creditorem interpellare iudicem tantum posse, vt testes a se produc-tos ad ea, quae in deleteo chirographo continebantur, examinet, ad futuram rei memoriam, ne forsan testium morte aut diuturna ac longinqua absentia probatio per-eat, quamuis ante omnia actor summatis iustum me-tum exponere teneatur. *Huic itaque petitioni iudicem sub-scribere aequum esse*, egregie pluribus notat DION. GO-THOFR. ad d. l. 40. lit. b. Praeterea quia hic textus in L. Aquilia relatus est: vix alius concipi potest casus, quam quo chirographium *dolo vel culpa* debitoris fuit deletum, vt debitum ab ipso in posterum exigiabsque magna diffi-cultate

cultate nequeat: tunc itaque dolus praesens delentis chirographum iudicis requirit auxilium, adeo ut *glossa in l. 1. C. de fideic. et BARTOLVS in l. 1. D. de usur. extra casum culpae aut dolii aduersarii legis huius applicationem exsulare* putet. Ita hoc *speciale esse* ait BALDVS ad hunc textum odio delinquentis. Hoc ergo casu, quo probatio iuris de futuro auferri de praesenti poterat, declarationem iuris futuri fieri posse, disertis verbis ait KNIPSCHILD. cap. 13. n. si. conf. etiam PEREGRINVIS loco ibi cit. Nec porro regulam nostram turbat *cautio damni infecti ruinae imminentiae praestanda*, quae per nudam implorationem a praetore extra ordinem decernitur. l. 9. D. de stipul. praet. Quum enim directo ad damnnum ex ruinis aedium datum resarcendum actio non competeteret, adeo ut alter ne quidem rudera tollere obligatus essent, si ea pro derelicto habere mallet, l. 6. et 7. f. D. de damn. inf. adeoque damno per ruinam facta actio desiceret: Praetor, quo vicino prospiceret, cogendum esse censuit possessorem aedium ruinam minantium ad cautionem praestandam, quam obligationem ex aequitate naturali traxit, de qua doctrina plenius agit Dn. PRAESES in tract. de act. set. 2. cap. ii. §. 8.

*Dubium a cau-
tione damni in-
fecti renounce-
tur.*

§. XIV.

Satisfaciendum denique ultimo loco erit verbis *vt et ex l. 9.* VLPIANI in l. 9. §. vlt. D. de pignor. act. dicentis: *Qui ante §. vlt. de pign.* solutionem egit pignoratitia, licet non recte egit, tamen, si of- ferat in iudicio pecuniam, debet rem pignoratam et sua quod in- terebet, consequi. Eiusdem in l. 7. D. mand. verba sunt: *item ex l. 7.* Si mandauero tibi, ut a Titio decem exigeres, et ante exacta ea, *mand.* mandati tecum egero, si ante rem iudicatam exegeris, condemnandum te esse constat. Aperte verba in vitroque textu pro- bant, *ins praesens superueniens* emendare defectum actio- nis ante tempus institutae. Dum enim exceptiones con-

C

tra

18 CAP. I. AN ET QVATENVS PRO IVRE FVTVR

tra prae mature actionem motam reus forsan non oppo-
fuerit, ius praefens interim accedens actionem prae ma-
ture institutam validam postea reddit, si nempe secun-
dum priorem legem solutio postea facta: secundum po-
steriorem, si mandato satisfactum. Adstruit hoc idem
DION. GOTHOFR. ad d. l. 7. lit. g, *actio*, inquiens, *super-*
ueniens pendente iudicio ex causa praeterita actori ad condemnationem rei prodest. Eodem modo rationes subducit PERE-
GRINVS de fideic. art. 41. n. 6. dicens: *Quodsi ius futurum in iudicium deductum fuerit, tanquam ius praefens, superueniens postea lite pendente prodest actori.* Conf. KNIPSCHILD cap. 13.
n. 53. IAC. CANCERIVS Var. tom. 2. cap. 3. de priuil. n. 463.
sq. PETRVS BARBOSA in l. 23. D. de iud. *Quis vero inde inferret, exceptione plus petitionis vel nondum competentis actionis a reo opposita, actorem in iudicio haud repellendum esse, quamvis non repellatur, si ante sententiam ius praefens superuenerit?* Rechte quoque hoc applicari potest ad actionem a successore fideicommissi viuo adhuc possessori institutam. Quodsi enim possessor a successore fideicommissi futuro conuentus, exceptiones sibi paratas obiicere negligat, ac litem contestetur, interim vero per eius obitum possessio fideicommissi vacare cooperit, quis successorem, iure successionis praefenti iam delato, actionem, licet prae mature intentatam, prosequi prohiberet, quem defectus actionis, antea fundatus, iam plane sit se-
motus?

Recapitulatio.

§. XV.

Breibus sententiam nostram ut repetamus, et in compendio exhibeamus, ad hoc principale caput eam redire constat: quod nimur *fundamentum praefens agenti* validum, cui futurum ius, tanquam appendix adiunctum, recedere aliquando a regula suadeat. Nil igitur nisi

nisi *praesens* aliquod, quod quis patitur decrementum, contentionem super *futura successione* permittere debet, nec nullus probabilitatis succedendi gradus alterare regulam sufficit. Et sic ergo nec iudices faciles esse oportet in recedendo a regula, sed demum magnum pondus argumentorum, et eximia circumstantiarum ratio eos a regula deflectere fas est.

§. XVI.

Denique supereft ut videamus, vtrum quis de iure, vt super *iure futuro* contendat, prouocari queat? Et enim ex *I. diffamari s. C. de ingen. manum*, plerique hoc casu prouocationem concedunt, quae huius tenoris est: *Diffamari statim ingenuorum seu errore, seu malignitate querundam, periniquum est; praesertim cum affirmes, diu praefidem unum atque alterum interpellatum a te vocatissi diuersam partem, ut contradictionem faceret, se defensionibus suis confideret, vnde constat, merito rectorem prouinciae commotum allegationibus tuis sententiam dedisse, ne de caetero inquierudinem suscittares.* Si igitur adhuc aduersa pars perseverat in eadem obſtinatione aditus *praesens* prouinciae temperari ab iniuria praecipiet. Prouocari ergo ad agendum ex hac lege posse centent, qui iactantia sua futuri successoris ius in dubium vocant, eisque comparitionem sub poena perpetui silentii iungi, vt vel litem de iure futuro fusciant, vel postea, perpetuo silentio imposito, penitus excludantur. Verum id principaliter fieri ob *diffamationem praesentem et iam factam*, et in consequentiam dantaxat ob *futuram*, ait *KNIPSCHILD cap. 13. n. 55.* Accidere enim posse docent, vt diffamatus super iure quodam futuro ex iusta causa alterum prouocare cogatur, veluti si quis contendat atque iactet, bona a se possessa esse libera, alienationi et hypothecis obnoxia, diffamatum autem omni iure deſtitui. Hac diffamatione

Quidam etiam ex I. diffamari possessorum provocari posse centent, ut de iure futuro agat.

diffamatum insigne incurrere praeiudicium ratione existimationis vel bonorum credunt: quod aliter auertere quam hac *prouocatione* nequeat. Quodsi itaque fideicommissi possessor longe lateque spargat, alteri ius nullum in bona a se possessa competere; si praeterea talia de facto suscipiat, quae alteri spem iuris sui suo tempore plane interuertere possunt, vel commoda et praerogatiwas, quae in eum, tanquam praesumtiuum possessorem magnorum forsan bonorum, etiam ante ipsam successionem delatam redundare possunt, auferre; dispergendo in vulgus, illum non esse inter eos, quibus successionem aliquando in fideicommissum sperare liceret, vel liberam sibi attribuat bonorum fideicommissi dispositionem, ea solum iniqua et peruersa intentione, ut difficiliorem suo tempore successori efficiat litigandi causam: in eiusmodi casibus, ius praefens vna cum futuro formare iudicium contendunt
PEREGRINVS de fideic. art. 41. n. 5. sq. FVSAR. quaest. 607. n. 6. sq. COVARRVV. var. refol. cap. 18. n. 8. KNIPSCHILD cap. 13. n. 56. Damnum et praeiudicium, quod per eiusmodi diffamationem successori maioratus irrogari potest, recenset *LVDOV. MOLINA de primog. Hisp. lib. III cap. 14. n. 24. sq.* dicens: *Quod semper ius succedendi in aliquo primogenio, seu magno patrimonio quodam maximi habitum fuerit atque aestimatum, et plerumque illi, qui in illis succedere possunt, uxores ditissimas inuenient, atque filios suos ita collocare fuerint soliti, ac si iam eis successio fuisse delata, quae omnia ex ista diffamatione amitti soleant, pluraque etiam alia damna incurri.* Addi posset, diffamantem hoc modo cogere diffamatum, ut eum prouocet, et, ut ad ius futurum declarandum cum eo litem suscipiat, adigat: id quod instantia sua causavit.

§. XVII.

§. XVII.

Retulimus paullo prolixius sententiam interpre-
tum, qua id re vera agere videntur, vt, quae in regula
concesserant, rursus insipida adlicatione prouocationis
ex *lege diffamari* destruant. Vix enim alius casus dari
potest, quo quis *declarationem successionis futurae* praecop-
tat, quam si praefens possessor feudi vel fideicommissi illi
extrajudicialiter contradicit, et sic *diffamationem* ali-
quam edit, qua spem futuri successoris turbare intendit.
Quodsi tamen huius prouocationis intentionem paullo
accuratius intuemur: ea potissimum huc redit, vt diffa-
mans ad agendum et ius suum demonstrandum adigatur.
Hoc posito, principiis iuris plane repugnat, vt possessor
feudi vel fideicommissi, cuius *diffamationem* in adlatis ex-
emplis praesupponunt interpretes, ad agendum compel-
latur, quippe qui nunquam agit, et ita ad agendum co-
gi nequit. Praeterea possessor nunquam probare cogi-
tur, alteri nullum ius competere: sed potius, qui ius in
fundo sibi adserit, agit contra possessorem et probat. Sic-
uti ergo possessor bonorum nunquam agit, ita quoque
ad agendum nullo iure constringi potest. Neque funda-
mentum remedii in *diffamatione* ipsa quaeri potest, vnde
actio non nascitur, nec *prouocatio*, quam hic concedere
volunt, sed *praeparatio* quaedam ad *actionem* ab eo in-
stituendam, qui alterum diffamauit. Si ergo non potest
agere possessor diffamans: nec citari potest ad agendum,
nec cogi, vt suam *diffamationem*, h. e. *diffamato* nul-
lum ius in feudo vel fideicommisso futuram *successionem*
praetendenti competere, probet; quippe quod ab omni
ratione iuris alienum est. Breuiter: si *vsum* huius pro-
uocationis *huc detorquere* licet, semper integrum fo-
ret futuro successori litem de *iure futuro* mouere et diffa-

*Quae sententia
relicitur.*

22 CAP. I. AN ET QVATENVS PRO IVRE FVTVR

mantem ad probandum adigere, qui tamen probare non tenetur. Quodsi praeiudicium futuro successori ex tali iactantia imminere videtur: alia remedia adsunt, quibus illud auertere potest, de quibus *cap. sq.* agendum. Praeterea in casu fideicommissi rectius sibi consulit futurus successor exigendo cautionem. Quam si denegat reus, opposita exceptione *non competentis actionis ob deficientem qualitatem fideicommissi gentilitii*: ante omnia se legitimare debet ad hanc actionem actor, et probare; sibi ius futurum competere, quod fideicommissum gentilitium adsit. Reete itaque *SARMIENTVS lib. I. select. interpret. c. u. n. 12.* negat, remedio ex L. diffamari constringi posse possessorem, ut super *futura successione* cum diffamato item suscipiat. Facilius admitti potest casus inuersus, quam habet *GAILIVS I. obs. 9. n. 2.* aiens: *Hoc remedium locum habet, si quis possessorem alicuius rei apud honestos et graues viros diffameret, quod inique et cum suo praeiudicio rem talen possideat, et quod ipse plus iuris in ea, quam possessor, habeat, quia tunc de iure praesente, sibi iam competente, possessorem diffamauit.*

Nec prouocatio
sieri potest ex l.
si contendat
pendente condi-
tione.

Denique sicuti de iure futuro ex *l. diffamari* aliquis cogi nequit ad agendum: ita quoque nec prouocatio ex pendente condicione. *l. si contendat. 28. D. de fideiuss.* aliter locum habere potest, quam si facultas praesens actori competit. Quodsi ergo debitor creditorem, cui *sub conditione* debetur, pendente adhuc conditione adstringere vellet, ut super exceptionibus in futurum opponendis cum ipso disceptationem fusciperet: merito repellendum foret, ut recte obseruant *PETRVS HEIGIVS P. II. quaest. 8. n. 9. et CARPZ. in proc.* *tit. 20. art. 4. n. 9.* Pari ratione ex hac lege a possessore feudi prouocari nequit adgnatus, a quo filiabus suis post mor-

mortem suam item motum iri persuassimum habet: quia nondum actio adgnato competit, ergo nec super exceptionibus, quae filiae forsan suo tempore oppositiae sunt, praesentem disceptationem suscipere tenetur. Facilius audiendum debitorem esse credo, qui in diem certum, in sui fauorem adiecitum, debet. Eo ipso enim dum prouocat creditorem ex *l. cit.* fauori suo renunciat, et illi facultatem agendi praesentem praefat, hoc effectu, vt, si reus exceptione reiecta, condemnatus fuerit, exequutio ante diem etiam fieri possit.

*Facilius a debito
tore qui in certum debet diem*

CAPVT SECUNDVM.
DE
REMEDIIS, QVIBVS IVS
FVTVRVM CONSERVARI
POTEST.

§. I.

 **C**apite primo satis, ut opinor, comprobatum Connexio cum dedi, actionem super iure futuro in iudicio priori capite. principaliter non admitti, nisi iustissimae causae, §. XI. sqq. adductae concurrant: ob quas iudex, cuius ante oculos aequum et bonum semper obuersari debet, cuiusque arbitrium nec in hac materia est exclusum, etiam de iure futuro decernere, exequutionem autem differre non dubitat. Neque tamen existimandum, omnibus iuris auxiliis eum esse destitutum, qui ius suum futurum conservare pro viribus studet. i. e. impedit ac praecauere intendit, ne quid fiat vel suscipiantur de praesenti, quo iuris sui in futurum persequutio difficult-

Ostendendo, ad^dificillima vel frustratoria reddi possit. Tantum igitur abesse remedia est, vt in eiusmodi discrimine vel amittendi, vel difficulter conservandi iuris futuri constitutis iura succurrere do.

plane tergiuersentur, vt potius varia eis suppedauerint remedia, quibus sibi in talibus angustiis prospicere atque periculo imminentि mederi posflunt. Melius etenim semper esse in legibus dicitur, *iura intacta seruari, quam post vulneratam causam remedium querere per l. f. C. in quibus caus. rest. in int. necess. non est.* Admodum se in hoc argumen-

Imprimis ex iure canonico. timenta benignum praebuit ius canonicum, quod appellationem ab omni grauamine extraiudiciale et sententia interlocutoria quavis tam mera quam mixta concessit, per ea quae traduntur in c. 12. 51. et 54. X de appellat. et a DN. PRAES. in iure eccles. protest. lib. II. tit. de appell. 28. §. 7. Rationes largissimae huius a pontifice concessae facultatis appellandi exacte tradidit IDEM c. I. §. 1. et lib. I. tit. 29. §. 3. sqq. Non autem huius loci esse videtur de appellationibus in genere disserere, aut distincte explicare, qua de causa ius civile appellationem admodum restrinxerit; ius canonicum antiquum vero eam prolixe dilataverit, et a singulis articulis permisit; ius denique pontificium recentius per concilium Trident. rursus eam in iudicio coarctauerit ad duos casus, eoque ipso se adparenter iuri civili conformatre voluisse videatur, quum haec materia ex professo tractata a DN. PRAES. in iure eccles. lib. II. tit. de sent. et re iud. et sq. tit. de appellat. sed ea tantum adducturus sum, quae ad rem et thema nostrum pertractandum conducere videntur; ostendendo, appellationem, praecipue extraiudicalem iure canonico stabilitam, utilissimum esse remedium ius futurum conseruandi prouocando extra iudicium a quocunque grauamine illato, etiam inferendo et futuro, quo declinare praeiudicium quodus possum, quod mihi vel

per

per praesentem alienationem bonorum, in quae successionem spero, vel per aliud factum iudicis aut partis ini-
quum, ad ius meum futurum forsan interuertendum,
imminet.

§. II.

Iure Romano quidem regulariter a sententia *defini-*
tua tantum appellari potest; *I. 2. C. de episc. aud. I. 7. C. quor.* *regulariter*
app. non recip. non vero ab *interlocutoria*; *I. 36. C. de appell.* nisi *tantum locum*
mixta sit, et grauamen irreparabile contineat, h. e. si prae-
iudicium causae facit, dum statum eius intervertit, aut ua.
si interlocutoria praeiudicium facit in definitiua, quo ca-
su interlocutoria ingerens difficultatem circa decisionem
est appellabilis. Breviter: quando grauamen, quod per in-
terlocutoriam infertur, non potest reparari per definitiua,
(vti est, quod probationem iniungit ei, qui probare non
tenetur, dum in eo status causae ponitur) appellari po-
test. vid. *SCACCIA de appell. membr. I. n. 215. et 84. MEV. 2.*
dec. 195. GAIL. I. obs. 132. n. 2. sq. LYNCKER. de grauam. ex-
trauid. cap. III. tract. praelim. ab initio §. 2. sqq. vbi prolixè hoc
casibus et exemplis illustrat. Ad cameram imperialem
adhuc hodie appellare non licet ab interlocutoria simplici,
nisi sententia grauamen contineat irreparabile, quod nec
per ipsam definitiua, neque per appellariionem a defi-
nitiua reparari potest; die durch Mittel der *appellation*
von dem Endurthel nicht wiederbracht werden mögen,
vt dicitur in ord. cam. P. III. tit. 19. §. 4. V. LYNCKER cit.
tract. cap. 3. tract. prael. §. 2. n. 2 pag. 40. GAIL. I. obs. 130. n. 8. et
sqq. et amec. obs. 129. vbi iuris huius constituti rationem red-
dit, vt multorum malitiis obvietur, qui a quacunque interlo-
cutoria appellare solent, vt causam principalem in infinitum ex-
trahant, et aduersarios maximis sumibis defatigent. Ius ta- *Aliud placitum*
men canonicum, quod in processualibus in aliis iudiciis fe- *iuri canonico.*

D

qui-

26 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IUS FVTVRVM

quimur indistincte appellations admittit, per c. 10. 12. X.
de appell. c. 1. de app. in 6to, cuius usus in dubio in il-
lis prouinciis praesumendus, in quibus de statutis contra-
riis liquido non constat. v. STRYK. us. mod. tom. IV. lib. 49.
tit. 1. §. 10. & BRVNNE M. ibi cit.

§. III.

Quod a qualibet interlocutoria appellare possit erga grauamine futuro Benignius igitur in eo deprehenditur ius canonicum, quod secus ac ius ciuale a qualibet interlocutoria appellata concessit per d. c. 1. de app. in 6to. imo ab omni

X. de App. tradunt et confirmat LYNCKER cit. tral. cap. 1. sect. 1. §. 6. n. vlt. et cap. 3. tral. pral. §. 6. n. vlt. pag. 50. in fine. Hoc etiam innuit eiusdem definitio GRAVAMINIS EXTRAJUDICIALIS, quam exhibet cap. 1 sect. 1. §. 2, quod nempe sit prouocatio a grauamine per iudicem vel partem extra iudicium illato vel INFERENDO. Adserit ILLE ibidem cap. II sect. 3. §. 1. n. 16. p. 31. sq. eandem prouocandi facul-

Et actibus ex traindicialibus tatem ab actibus extra iudicialibus quoque iure ciuili fuisse concessam: quae tamen sententia, quia probari nequit, ad plausum non meretur.

Quamvis enim negari non possit, patuisse recursum ad superiorem a facto iudicis extra iudicium inique gravantis partem, sicuti in genere qui inique ab aliquo grauatur, querelam desuper mouere potest: hunc tamen recursum, hanc querelam, *appellationem* proprie dictam, intra decendum interponendam, nemo vocauerit, sed potius simplicis *quaerelae*, *pruocationis*, vel *implorationis* superioris nomine insignitur cum appellatio-
nibus nihil commune habentis. Sic in l. 1. §. 2. D. quand
appell. si simile quid occurrit, quod ad *appellationem* extra iudiciale referri queat, utpote si quis ad aliquod mu-
nus vel honorem vocatus erat, qui excusationem suam
per viam *appellationis* interponere iubetur. Ast iterum
sim-

simplex magis querela videtur, quam proprie dicta appellatio, quum ea fatalibus appellationis ordinariis haud sit adstricta. *l. i. C. de temp. appell.* Ideo videlicet haec quere la appellatio vocatut, quod ad superiorem dirigenda sit a decreto ordinis, minime vero proprie dicta appellatio quae a sententiis interponitur: quia alioquin intra ordinarium appellationis tempus interponi debuisset. conf. D.N. PRAES. ius eccles. tom. I. tit. de appell. §. 2. Certum igitur manet, facultatem prouocandi ab actibus extrajudicialibus quibusuis, etiam praecipuum futurum minantibus, iuri canonico deberi, vii textus §. ante cit. probant. Quod si igitur, vt verbis LYNCKERI c. trah. cap. 3. P. 3. § 1. pag. 271. vtar, prouocationis extrajudicialis utilitas ex tam diuersis gra uaminum generibus, quae per illam reparare licet, non perficere tur, saltim in eo remedii eius praeflantia se exhiberet, quod cum alias in iudicio a futuro grauamine appellare permisum non sit, tamen ad instantia quoque et FVTURA GRAVAMINA extrajudicialis se extendat appellatio, et vel a processu FVTU RO, veluti ne inquiratur, vel contra me procedatur, appellari possit. Verum, ne hoc remedium alias faluberrimum, adeoque tanquam species defensionis nemini denegandum, ad defensionem iniuritatis, sed potius innocentiae praesidium constitutum esse videatur, prudenter leges constituerunt, illa tantum grauamina futura et inferenda hoc remedio emendari posse, quae moraliter certa sunt, et radicatum, vt dicitur, causam habent. Inspiciendum igitur erit, quid sit, quod grauamina isti futuro causam dat, utrum in nudo metu, adhuc incerto, consistat, an iam aliquid iniusti habeat, ex quo grauiora sunt metuenda? Quod nihil adhuc dum iniuriae intulit, sed saltim metuitur, non potest locum appellationi facere. Vbi vero non est nudus vanus metus, sed aliquid iniusti iam sentitur:

*Quae grauami-
na futura huic
pertineant?*

28 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IUS FVTVRVM

refert, vtrum eius *perpetuum* certumque sit gravamen, an *temporale* incertum et ex euentu dependens? Quoad hoc interest, an, si eveniet, per appellationem eius facilis sit reparatio? et non appellatur, quamdiu grauamen in per- denti est. Quamdiu enim in suspenso est ius causae, per- inde habetur, ac si sit citra omne praeiudicium. *I. 9. §. 2. D. de lib. et posth. hered. inf. l. 48. §. 1. D. de iure fisci. MEV. 8. dec. n. n. 4.5.* Quum futurum ex eo, quod factum vel de- cretum, certum est: appellatio admittenda, quia tam in praesenti grauamen est, quam quod imminet, pro praesenti habetur; prout quæstionem hanc, an et quando ap- pellatio ob futurum grauamen admittatur? decidit *MEV. 1. decif. 4. et P. 3. dec. 127.* Grauamen futurum ex praesenti originem habens, in appellationem ob hoc venire recte autumat etiam *s. CACCIA de appell. quæf. s. n. 13. v. quod facit eo grauus.* Hoc temperamentum quoque admittit et exponit *LYNCKERVS cap. III. P. 3. §. 2. n. 1. cum sqq.* di- cens quod, quamvis iure can. a quoconque grauamine ap- pellari posse certum sit: *cap. 12. 47. 60. X. de App.* tamen ne quidem eo iure, quod quidem in impertienda prouo- catione tam profum est, a grauamine futuro et non dum illato tam simpliciter appellatio admittatur. *Vnde se per interlocutionem iudex quid ad instructionem animi sui fieri iussit, tunc vel ideo appellari non potest, quia ne vestigium qui- dem grauaminis se exserit; nec partes, cur istud. iudex desideret,* scidunt; prout *B. de LYNCKER cit. tr. c. III. p. 3. §. 3. n. 3. p. 275. ait.* Quoad extraiudiciale grauamen, quod non du- rante processu metuitur, recte etiam metum circa grauamen futurum iustum supponit *prælaudatus ICtus cit. l. p. 275.* Et- enim *si*, inquit, *grauamen futurum in nullo metu consitit; nec ullam, ut aiunt, causam radicatam habet: tum, velut alias nun- quam ius futurum in iudicium trahi potest, l. 2. §. fin. D. de re-* cept,

*In extraiudi-
cialibus etiam
actibus.*

cept. et l. 31. D. de iud. si a praesenti non pendeat. cap. 60. X. de appell. Sed alia contra illum metum remedia in promtu sunt, vti sunt v. g. *Mandata de non offendendo sine clausula etc. de quibus inferius dicendi locus erit.*

§. IV.

Moraliter certum etiam grauamen supponit Papa Grauamon ALEXANDER III. in c. 18. X. de appell. verbis: quodsi gene- moraliter cer-
raliter appellationem quis interponeret ab omni grauamine, quod tum esse deber.
sibi posset contingere, huiusmodi appellatio tenere non debet. Et in
cap. 59 X. eod. ut debitus honor deferatur iudicibus, et litigato-
ribus consulatur super laboribus et expensis: statuimus, vt si
quis coram idoneo iudice conuenerit aduersarium, ille ante sen-
tentiam ad superioriorem iudicem absque rationabili causa non prouo-
cet, sed coram illo iustitiam suam prosequatur, non obstante si dicat,
quod ad superioriorem iudicem nuncium destinauerit, aut literas impe-
trauerit ab eodem, priusquam delegato fuerint assignatae. Cum au-
tem ex rationabili causa putaverit appellandum coram eodem iudice
causa probabili appellationis exposita: tali videlicet, quae si foret
probata, deberet legitima reputari, superior de appellatione cognoscatur.
Et si minus rationabiliter eum appellasse constiterit, illum
ad inferiorem remittat, et in expensis alteri parti condemnnet,
alioquin ipse procedet, saluis constitutionibus de maioribus cau-
sis ad sedem Apostolicam referendis. Paria igitur sunt, non
esse, et nondum apparere, l. 76. D. de contr. Emt. id
quod responso quodam Francofurtensi huic nostrae tra-
ditioni accommodato illustrat STRYK. in us. mod. tom. IV.
lib. XLIX. tit. 1. §. 12. Idem in camera imperiali circa man-
data decernenda obseruari probauit DN. a L V D O L F, qui pa-
tronus infasto mihi admodum sydere ante duos annos
fatis excessit, in iure camerali scđ. l. §. 10. pag. 155. n. 48. his
verbis: *De mandatis, que futuros casus ressiciunt, sciendum
est, quod fundari debeant omnino in facto aliquo, quod metu-*

30 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IVS FVTVRVM

tur, iuri et iustitiae aduerso, ita, ut periculum vel damnum per praeceptum iudicis caueatur, et res integra seruetur. Et me-
tus non debet esse vanus, imaginarius, sed probabilis iudici.
Haec nisi adsit qualitas narratorum repelletur haud dubie peti-
tor. Quodsi igitur grauamen ita se habeat, vt quid iniu-
sti nunc sentiat, praesens fere est. Qualem metum ad
bellum quoque fuscipendum sufficere docet GROTIUS
de I.B. et P. cap. 22. n. 5. si videlicet non de potentia solum
vicini constet, sed etiam de animo nos inaudendi, et
quidem si ita constet, vt illud certum sit ea saltim certi-
tudine, quae in morali materia locum habet, obseruante
LYNCKERO cit. tr. p. 277. n. u. sg. Metu ergo gravaminis
futuri iusto concurrente in extrajudicialibus, non praeci-
se requiritur, vt saltim initium aliquod habere grauamen
debeat: verum, vt verosimiliter quid gravaminis mihi in-
tentari velle constet, sufficit, atque ego de actu in damnum
meum faciendo inaudierim, idque per cap. 51. et 59. X. de
app. LYNCKER. c. tr. c. 3. P. 3. §. 7. n. 2. pag. 285. et c. 7. P. 2. §. 9.
Maxime quod in appellatione iudicali, si modo de facto
constet, tamen ad hoc, vt quis appellat, satis sit, vt,
quamvis grauatus non sit, tamen grauatum se esse opi-
netur. l. 13. §. 1. D. de appell. Licet enim generalis appellatio
ob quocunque grauamen, quod aliquando inferri posset,
in iudicio non valleat, cap. 2. 18. X. de App. tamen prouocatio
extrajudicalis a futuro grauamine sue iudicis, sue parti il-
lud sit, quamvis generalis attenditur: eaque per subsecutum
deinde grauamen ad speciem reduci potest, vt appellans ab ini-
tio specialem et iustam prouocandi causam habuisse censeatur, vt
notabilia sunt verba LYNCKERI cit. traet. cap. 3. P. 3.
§. 7. n. 6.

§. V.

Neque vero requiritur, vt si a futuro vel instanti
gra-

grauamine appelleatur, sententia iudicis vel decretum praecesserit, aut tum demum prouocari, si alia sententia definitiva non exspectetur: sed si vel maxime rem in iudicium non deduxerimus, prouocatione nihilominus obtinebit. SPECVLAT. tit. de Appell. X. n. 10. Imo etiamsi penitus nihil exsistat, praeter metum verosimilem, quo grauatos nos esse comprobare possimus per cap. 18. pr. de Appell. Vnde etiam si iudex extrajudicialiter futurum grauamen comminatus fuerit, aequae ab eo tanquam iudice extrajudicialiter appellabitur. Cauendum tamen hic esse ait LYNCKER c. l. §. 8. n. 6. ne quid facile contra ordinem instantiarum fiat, iudicique auctoritas crebris prouocationibus vilescat, prout principis auctoritatem crebris contradictionibus destrui CAIVS CASSIVS aiebat apud TAC. XIV. Ann. c. 43. n. 2. Praeterea quamuis appellatio contra sententiam gravantem quidem pure interponatur: casus tamen dari contendit STRYKVS in vf. mod. lib. 49. tit. 1. §. 14. vbi hoc saltim in certum futurum euentum fieri solet. Nam sententia dubia vires rei iudicatae, nulla eius facta legitima impugnatione, consequitur. Quodsi tamen super dubio illius intellectu, dum vtraque pars alium sensum obtendit, noua lis exoritur, effectu illo non gaudet: quum ulterius iudicatum non adsit, quam quatenus clarus et apertus est sententiae intellectus. Unde si post decendium petita declaratio petentis intentioni non sit conformis: ab hac *declaratione*, vt pote quae proprie demum grauamen constituit, partibus appellare adhuc integrum est. vid. MEV. I. Dec. 109. STRYK. vf. mod. lib. 49. tit. 1. §. 14. Interim consultius est, vt intra decendium petatur declaratio, et eidem petitioni euentualiter iungatur appellatio, si scilicet iudex alium sententiae sensum esse adfirmauerit.

§. VI.

§. VI.

*Progressus ad
remedia pro
conferuacione
iuris futuri
introducta.*

*Primum reme-
diu pro iuri
ro praeiudicio
averendo est
appellatio.*

Generalibus hisce de provocacione extra judiciali ab omni metu iusto grauaminis etiam inferendi et futuri praemissis, specialia quaedam et praecipua monumenta et exempla ex iuribus *civili*, *canonico*, *feudali* et *publico* consideranda veniunt, quibus quis se aduersus eiusmodi grauamina, praeiudicia, etiam *futura* et non contemnenda, mediante dicta provocacione et aliis quibusdam remedii tueri ac in tutum contra aduersarii molimina collocare potest. A iure priuato h. e. *civili* initium faciamus, cui et *iuri
dium pro iuri
ro praeiudicio germanicum* adiungemus. Primarium ergo, ceu ex praecedentibus fluit, *remedium pro iure futuro conseruando* (l) quod memorandum occurrit, est *appellatio seu provocatio contra instantem alienationem bonorum fideicomisso subiectorum* vel maioratus, in quae *appellans* successionem sperat; cum ab *actibus* non solum *susceptis* sed et *suscipiendis* provocare *iura* permittant ei, qui inde *praeiudicium* sibi metuit, LYNCKER de *grau. extr. cap. 3. P. 1. §. 7. n. 2.* Hoc scilicet effetu ne fiat alienatio, quia facilius re adhuc integra actus impeditur, quam ad perfectionem deductus rescinditur. vid. GAIL. II. obs. 137, 139. vid. etiam num 19. cap. II. Quid quod hodie generaliter contra attentatam alienationem, quae nullo iuri iustificari potest, decerni soleant mandata S.C. vt docent a LVDOLF. in *iure cam. supra c. seq. I. §. 10.* pag. 155. n. 48. KNIPSCH. de *fideic. fam. cap. 12. n. 34.* Licet enim alienatio bonorum contra fideicomisum ius futurum successoris non intervertat, quum bona fideicomisso subiecta sua natura alienari non possint, vti latissime et exakte explicat KNIPSCHILD. c. l. toto cap. XI. de *alien. fideic. fam.* et eleganter disponit l. vlt. §. 2. C. commun. de leg. cum Nov. 39. in pr. verbis: *Sed tanquam nos, cui nulla currit praescriptio, quo minus suo tempore, iure suc-* cef.

cessionis eueniente, bona contra leges fideicommissi alienata reuocare possit, vti late probatum dedit KNIPSCHILD l. cit. cap. 16. n. 91. sq. vt tamen saluam retineamus causam, atque alienationem ad quemcunque effectum peruenire non patiamur, sine dubio consultius est. *Suo*, dixi, tempore bona illa alienata a fideicommissariis reuocari procul dubio posse. Tantum enim abest, vt *statim* reuocari possint, vt hoc potius omni iuris analogiae refragetur, vt *capite I.* ostendimus, quum viuentis non sit hereditas, nec ceteri ante mortem alienantis ad fideicommissum sint vocati, licet vel maxime fideicommissio clausula *de non alienando* sit adiecta. Huius quidem utilitatem in eo non nulli collocant, quod operetur, vt omnis alienatio sit ipso iure nulla, l. 88 §. 14. de leg. 2. impediatque translationem dominii, z OES. ad SCUM Trebb. n. 66. adeo, vt *statim* proximiior alienatum reuocare possit per l. 69. §. 3. de leg. 2. quum ea non adiecta, exspectanda demum sit mors alienantis. PETRVS DE PETRA de fideic. qu. 3. n. 2. Verum de hac sententia merito dubitamus, quod inc. l. 69. non dicatur, quod *statim* reuocari queat, quum nullum fideicommissariis ante mortem alienantis possessoris legitimii *ius agendi praesens* adsit: et si proximiior *statim* agere vellet, de *iure futuro* adhuc incerto ageret, quod minime iura permittunt, l. 35. D. de iud. vti plenius euicimus cap. 1. §. 4. sq. Seriem auctorum pro et contra disputantium adduxit KNIPSCHILD c. l. cap. 13. n. 32. quoram sub clypeo non pugnamus, veritate sententiae per rationes propugnata: non negamus tamen, *appellationis* huius remedio sibi proximiorem pro *iure futuro* conseruando prospicere posse (d).

E

§. VII.

(d) Quia tamen haec *appellatio extra judicialis* magis querela quedam est, et prouocatio ad causam, vt dicitur in c. 5. X. de *appellat.*

§. VII.

*Alerum re-
medium est
prostatio.*

Minus (II) validum remedium est PROTESTATIO, quae sententiam, quo minus in rem iudicatam transeat, vel actus praetrialis fiat, non moratur, nec effectum suspensuum, ut appellatio, operatur. Vnde recte LYNCKER contra grauamen inferendum sibi prospicere volenti consulit, ut potius ad beneficium appellationis in tempore recurrat, in cit. tract. cap. 9. P. II. §. 5. n. 2. et 4. Interim tamen eam ad possessionem conseruandam aliquando conducere adserit IDEM c. I. §. 3. n. 8. et prope appellationi extra judiciali accedere, idque exemplo praesentantis

pellat. adeo, ut dirigenda sit ad iudicem grauantis primae instantiae: c. u. eod. in 6. per indirectum fit, ut de iure futuro ante tempus agatur. Qui enim appellat contra imminentem alienationem, et ita impetrat, ut suspendatur alienatio, per indirectum efficit secundum ius canonicum, ut de iure futuro ante existentem successionis casum agatur, si is, contra quem appellatum est, qualitatem fideicommissi gentilitii vel successoris habilitatem negat. Interim a directa actione pro iure futuro declarando, quae exulat, appellationem hanc extra judiciali multis modis differre contendit LYNCKER de grau. extra iud. c. III. P. I. §. 6. p. 285. α) quod appellatio etiam ob grauamen futurum, non actio de iure ciuili, locum habeat: β) illa semper ex facto illicito oriatur, non haec: γ) illa etiam possidenti, non etiam haec competat, quatenus realis est: δ) illa subitaneo processu, non semper haec finiatur: ε) prouocatio insinuetur attentanti alienationem ad effectum futurum, non aequa actio: ζ) illa ad actum futurum impedendum concedatur, actio ad ius praefens persequendum etc. Quicquid vero horum sit, negari nequit, iuris canonici doctrinam admodum deflectere a sententia iuris Romani, et quod hoc negat, per indirectum illud concedere et ita fori contentiones admodum auxisse praeter spem et cogitationem.

tantis cambii, vbi si acceptans non soluit, vel sub conditione tantum acceptat, praesentans pro obtinendo regressu aduersus mandantem seu retrahentem, intra fatalia protestari tenetur ceu illustrat IBID. §. 3. n. 3. et cap. 6. §. 8. n. ii. Licet ergo vim suspensiua non habeat protestatio, declarat tamen protestantis mentem, et ius eius, quod alias silentio perire poterat, conseruat. *I. fin. C. de usur. pupill. I. 4. §. 1. quando pign. vel hyp. solu.* v. M E V. P. IX. dec. 194. n. 8. Excludit enim adprobacionem, et protestans potius declarat, se grauatum esse, dum eam interponit circa actum vel iussum magistratus aut personae publicae, collegii, capituli aut etiam priuati. Vnde et utiliter hoc beneficium adripit, qui violentia vel metu ad faciendum aliquid adigitur, atque hoc modo sibi referuat remedia ex eo prodita, ne acquiescendo purgare violentiam atque metum videatur. Quid quod et tertium subleuet protestatio, si de eius iure agitur, ne tacendo sibi praeiudicet, teste GAILIO lib. I. obf. 70. n. 25. sq. Quocirca etiam ratione iuris futuri conserandi commode adhibetur, et ad imminens grauamen hoc extenditur beneficium, obseruante LYNCKERO cap. III. P. III. §. 3. n. 9. et cap. VII. P. II. §. 9. n. ii. Idem confirmant verba MEVII P. II. dec. 53. n. 5. Nam in iis, quae nondum inferunt grauamen, sed minantur, non opus est appellatione, sed suffici protestatio, quae ius protestantis saluum conseruat, et mentem illius contra prae sumptionem patientiae satis declarat. Ita moris est, ait RVT GER RVLAND de commiss. P. I. lib. 6 cap. 1. n. 8. publicationi decreti opponi protestationem eaque proficia est. Protestatio ergo nuda ad vim attentatorum non sufficit, vt ait LYNCKER cap. VIII. §. 53. n. vlt. nec effectu regulariter gaudet suspensiuo, sed ius futurum protestantis tantum in tuto collocat, CARPZ. P. I. c. 17. def. 16. atque efficit, ne videatur

E 2

tur

tur protestans in actum confessisse, MEV. P. I. dec. 14.,
ceu infra specialius declarandum erit.

§. VIII.

*Tertium re-
medium est
cautionis pre-
fatio.*

*In fideicom-
missis.*

In promptu etiam adsunt alia remedia, quae iura proximioribus in fideicommisso pro iure futuro conseruando suppeditarunt, qualia sunt (III) cautionis praestatio. Hanc praestare tenetur fideicommissi possessor de bonis fideicommissis subiectis sartis testisque conseruandis et successori integre restituendis, de qua agit totus tit. D. vt leg. seu fideic. seru. causa cau. l. 69. §. 3. de leg. 2. PETRA de fideic. quaeſt. 10. n. 13. FVSAR. de fideic. subſt. quaeſt. 515. n. 1. et iamſi nulla adhuc adſit dilapidationis ſufpicio. FVSAR. de fideic. subſt. quaeſt. 515. n. 7. 8. Remitti tamen haec cautio a fideicommissi institutore, l. 2. et 7. C. vt in poſſ. leg. l. 12. D. vt legat. ſeu fid. seru. l. 77. f. D. de cond. et dem. et prohiberi a teſtatore potest: l. 4. C. vi in poſſ. leg. quia ſatiſdatiōnes hae in fideicommissis voluntatis defunctorum tuenda gratia introductae ſunt, et ſic etiam eorundum voluntate remitti poſſunt per d. l. 2. C. Quamuis enim etiam *dolum malum*, ex quo res fideicommissaria deterior reddi queat, hac cautione ab futurum caueatur; l. 1. D. vt leg. ſeu fid. seru. hunc vero remitti non poſſe tradant KNIPSCHILD de fideic. fam. cap. 12. n. 31. LAVTERB. ad d. 1. §. 8. ne ex huius remiſſione delinquendi occasio praebetur, et ita nec dolus futurus, l. 27. §. 3. D. de pacſ. l. 23. D. de R. I. l. 17. pr. D. commod. nec remitti cautio poſſit, vt boni viri arbitrio quis fruatur; l. 7. C. vt in poſſ. leg. multa tamen fieri poſſunt per *consequen-
tiā et implicite*, quae directo fieri non poſſunt, hoc tamen cum effectu, vt, hac cautione licet remiſſa, nihilominus dolus a fideicommissi possessore commiſſus praestan- dus ſit, quod hic remiſſus non ceneatnr cum *lata culpa*, quem is praestare debet. v. STRYK. uſ. mod. lib. 36. tit. 3. §. 4.

Quodſi

Quod si tamen, ait KNIPSCHILD d. cap. 12. n. 34. satisfactione etiam remissa fideicommissi possessori bona dolose dilapidet, potest nibilominus successor officium iudicis implorare ante factum, ut impeditur, ne dilapidatio fiat et cautionem petere; l. 50. D. ad SC. Treb. quum testator de tali dissipatione dolosa remittenda cogitasse non praesumatur imo remissio censeatur facta: rebus sic stantibus.

l. 60. §. 4. D. mand. Maioratus itidem possessorem de rebus maiorum subiectis integre restituendis cautionem praestare teneri, docet LUDOV. MOLINA de primog. Hisp. lib. 1. cap. 15. n. 2. ut proximiori prouocare ab intentata alienatione bonorum maioratum integrum omnino sit. v. CARD. MANTICA de tac. et ambig. comu. tit. 30. n. 38. Etsi enim proximior, viuente adhuc ultimo maioratus possessore, nondum iure successoris praesenti gaudeat, adeo ut bona semel alienata viuente possessore vindicari a proximiore nequeant, vt de fideicommissis antec. §. comprobauimus: occurrere tamen instanti alienationi melius est, quam post obitum possessoris vindicare. Denique quotiescumque hereditas vel legatum post mortem testatoris statim peti nequit; vel quod hereditas aut legatum dilatam sit in diem, vel conditione suspensum, vel alias praestatio ex futuro eventu secundum naturam rei legatae dependeat: cautio a fiduciario vel herede praestanda per l. 14. 15. D. vt leg. seu fid. seru. quam cautionem etiam substitutus ab herede sub conditio instituto, hereditatem pendente conditio perte potest per l. 12. D. qui satisd. cog.

§. IX.

Ne praeterea (IV) difficilis successori post mortem possessoris reddatur probatio ac vindicatio rerum ad fideicommissum pertinentium, successorem iura ad inuenta-factio, futurae rium bonorum fideicommisso subiectorum obligarunt, vt de prae-successoris causa, sciat successor, quid ex iure suo futuro sperare liceat,

et de conseruatione follicitus esse possit, cuius confectionem et maioratus possessori incumbere, docet laudatus MOLINA cit. tr. lib. I. cap. 28. n. 4. sq. et inf. Sic enim exinde ius futurum facilius probari potest. Hanc aequem, vti cautionis praefationem, remittere testatorem posse quidem tradunt ex l. 72. §. 3. D. de cond. et demonstr. Sed hoc tantum de solleimi inuentarii confectione intelligendum, quum non obstante hac remissione successor bonorum descriptionem priuatam petere possit. Confundunt enim interpres hic sollemnam inuentarii confectionem et aliqualem, bonorum descriptionem teste KNIPSCHILD cit. l. cap. 12. n. 16. et hoc eo magis admittendum, si successor suis impensis inuentarium petat. V. CASTRENS. vol. I. cons. 366. in f. F V- S A R. quaest. 512. n. 11.

§. X.

*Quintum re-
medium sunt
mandata S. C.
quae futura
damna pree-
cauunt.*

Aliud (V) argumento nostro accedit remedium, quod praxis illustris camerae imperii seruat. Haec enim auxilium grauitatis per mandata S. C. indulget, nec aditu precludit eos, qui ad ius suum futurum conseruandum ad illud configuiunt, cuius iurisdicō fundata est ab omni gravamine etiam extra judicialiter et futuro, teste DN. A LVDOLF in iure cam. sedl. I. §. 13. n. 1. Decernuntur ibi mandata S. C. super casib⁹ futuri⁹, qui se fundant in facto aliquo, quod metuitur, iuri et iniustiae aduerso, ita ut periculum vel damnum per preeceptum iudicis caueatur, et res integra seruetur, vt euincunt verba DN. A LVDOLF c. l. §. 10. n. 50. pag. 155. in f. idemque GAIL. I. obseru. 83. n. 4. adprobat. Quidquid generanter hodie contra attentatam alienationem, quae nullo iure iustificari potest, decerni soleant mandata S. C. vid. BETSIUS de pac̄. fam. illustr. cap. 4. §. 3. Ita, si de casu alienationis bonorum pupilli sine decreto dubitatur, an ad mandatum S. C. sit aptus, quod consuli pupillo possit alio
reme-

remedio iuris, veluti rei vindicatione, locum tamen ei fore, si periculum est
si interueniat in mora periculum, ut satius sit rem integrum ser-^{in mora.}
uare, putat A LVDOLF c. l. pag. 151, alias vero non, quum
ad imperrandum mandatum necesse sit, vt adsint circum-
stantiae per appellationem non reparandae. v. *supra* b. cap.
§. 2. Pariter turbationem et offendionem futuram metu-
entibus succurrit camera concedendo mandata de non
amplius turbando et de non offendendo, quae ita differre
ait A LVDOLF c. l. §. 8. n. 13. quod illud supponat turbatio-
nem iam factam in possessione rei vel iuris; hoc vero offendionem
personarum, quae nondum est facta sed metuitur. Offenduntur
enim, pergit personae principaliter iniuria eos adsciendo; turba-
tio circa possessionem veratur, quod factum res principaliter ad-
ficit, non personas. Inde concludit: *in periculo offendionis*
personarum peritur mandatum de non offendendo: si de rebus
vel iuribus metuitur, de non turbando. Facilius autem est, vt
prohibeat offendio personarum, quam inhibeat turbatio.
Mandata enim de non offendendo ad pacem publicani
conseruandam spectant, futuram praeterea, non praeteri-
tam offendionem concernant. GAIL. I. obs. 4. n. 1. 2. Tur-
batio vero est actus praeiens non futurus, et praesupponit
actoris possessionem. Mandata de non turbando regula-
riter decernuntur cum clausula: de non offendendo *sine*
clausula. Facile ex narratione facti exceptiones iuris ali-
quas opponi posse iudex praeuidere potest, quo casu man-
dere sine clausula regulariter non solet decernere camera.
Vbi vero possessio actoris satis fuerit probata, non obstat, pu-
tat B. A LVDOLF sect. I. § 8. n. 14. quo minus pro circumstantia-
rum ratione, si factum tale est, ut sit iuri contrarium, vel de
periculo aueriendo agitur, etiam sine clausula inhibeat turbatio:
si iudex maiori violentiae occurrentum esse censeat.
GAIL. I. obs. 78. n. 6. seq. Confer. BLVM. proc. cam. tit. 29.

n. 215-

n. 25. Quotiescumque igitur factum imminet, ex quo alteri grauamen et damnum irreparabile metuendum, veluti si arbores annosae, quae longo tempore non excrescunt, succidantur et deaestentur, aut si dominus totam sylvam, in praeiudicium eius, qui ius venandi in ea habet, excidere velit, impetrari mandata S. C. possunt: conf. GAIL. I. obs. 13. n. 3. et 2. obs. 67. n. 8. vel si causa alias moram non ferat; aut in genere, quotiescumque factum, quod nullo iure iustificari potest, imminet. v. g. in nunciatione noui operis, si aduersarius facta nunciatione ab opere faciendo non desistat: vel si quis alteri vim publicam minetur, aut inferre in animo habeat, et minae tales sint, ut ad effectum perductae pacem publicam turbare queant: si quis bona litigiosa in actoris futurum praeiudicium alienare conetur: si quis contra testamentum paternum bona paterna alienare intendat, v. A LVDOLF c. I. §. 10. pag. 15. mandata haec pro praeiudicio futuro auertendo profundat grauato.

§. XI.

*Ad applicatio bo-
rum remedio-
rum ad casus
speciales,*

*per varias cau-
tionum species.*

Ceterum vniuersaliter fere adfirmandum videtur, cautiones et hypothecarum constitutiones futurae inseruire securitati, vt iuri futuri, cuius dies nondum venit, exequitio suo tempore commodior reddatur, ne concursu forsan super bonis debitoris moto, vel alio modo illo ad incitas redacto, creditores die veniente ius suum amittant. Futurae etiam obligationis nomine hypothecae dari possunt per I. 5. pr. D. de pign. Ita cautio *damni infecti* prodita est aduersus damnum imminens ex alterius aedibus vel fundis, ruinam minantibus, ad *damnum futurum* resarcendum, I. 7. pr. §. 1. I. 2. D. de damn. inf. I. 14. §. 2. D. de Ag. pluvi. arc. quam cautionem cum principio nostro *supra cap. I. conciliauimus*, adeo, vt, qui cauere recusat, eum praetor

praetor cogat per missionem in possessionem illius, cui cauendum erat. Et si missio ex primo decreto non praestatur, post interuallum aliquod, arbitrio iudicis determinandum, l. 15. §. 21. sq. D. de damn. inf. lequitur missio ex secundo decreto, per quod dominus constituitur. d. l. 15. §. 16. l. 7. §. 9. D. comm. diuid. l. 1. pr. D. de fund. dot. Porro sub *conditione negativa*, quae in non faciendo consistit, heres institutus *cautionem mutianam* ante aditam hereditatem praestare debet de actu, a testatore fieri prohibito, in futurum non faciendo. Licet enim, cautione hac non praestata, fiduciario ius sit legatum vel hereditatem repetendi, si contra voluntatem et conditionem a testatore praescriptam actum perfecerit: cautione tamen ille, ad quem hereditas alias redditura, sibi securius prospicere potest, quam, spreta a fideicommissario testatoris voluntate, hereditatem vel legatum repeteret. Pariter pupillo seu impubere adrogato, de *futura successione* prospicitur eius consanguineis per cautionem. l. 18. sqq. de adopt. Eandem ob causam leges, de *pupillorum securitate* valde sollicitae, tutorem satisdare iubent, *rem pupilli saluam fore*, quamvis nulla contra tutorem adsit suspicio. Et licet tutores testamentarii et cum inquisitione dati ab hac cautione sint immunes; pr. inf. de satiad. l. 2. 3. de confirm. tut. l. fin. §. 5. de curat. fur. l. 17. de test. tut. moribus nostris tamen omnes fere tutores indistincte cautionem, rem pupilli saluam fore, praestare tenentur per REFORM. POLIT. de anno 1548. tit. 31. §. 2. sq. et 1577. tit. 32. §. 3. nisi bona immobilia possident; quamvis hodie raro tutores dentur, qui non possident immobilia. In remedii possessoriis et interdictis plerumque petitur cautio *de in posterum non amplius turbando*, in securitatem aduersus futuras etiam turbationes, adeo ut cautio *de non molestando in futurum*, si a parte non petita,

F

nec

nec in sententia expressa fuerit, adhuc in exsequitione impetrari posse doceat GAIL. I. obs. uo.

§. XII.

*Prouocatio li.
bevorum pro
stau suo con-
seruando.*

Plura adhuc occurrunt alia exempla, ad quae haec remedia applicari possunt. Etenim iura adgnationis conferuare studenti leges succurrunt, ne forsan emolumenta inde speranda amittat, adeoque si de iuribus sanguinis inter partes dispositum, et ex tali dispositione quis grauatur, infle prouocabit, teste LYNCKERO de grauam. extrai. cap. 1. P. I. §. 4. n. 6. Liberis enim ius sanguinis a maioribus quaesitum auferri nequit pactis et renunciationibus etiam iuratis parentum vel coniugum, inaequale connubium forsan contrariantur; quia fieri potest, ut pactis dotalibus priuatis disponatur, liberos ex eo natos ad familiam non pertinere, adeoque familiae iurium non fore participes, ex quo graue in futurum sentire possunt incommodum: exceptis parentibus illustribus, qui matrimonium *ad morganiticam* contrahere queunt. A sententia porro impositionis perpetui silentii appellari potest: quia huiusmodi sententia insigne diffamatori infligit praediudicium, quae ex quorundam opinione est definita, vel saltem interlocutoria, habens vim definitiua, quia sententiam absolutoriam ab observatione iudicij re vera continet, imponentem finem controvrsiae, ita, ut amplius agi nequeat, atque diffamator a iure suo in futurum persequendo in perpetuum exclusus sit, inquit GAIL. I. obs. seru. 132. n. 1. Pro iure ergo futuro agendi conferuando appellari potest. Ita et a decreta commissione, testes ad perpetuam rei memoriam recipiendi appellari quandoque posse, docet RVTG. RVLAND de commiss. part. 2. tit. 1. c. 2. quorum deposita appellanti forsan futuro tempore graue praediudicium adferre possunt: quamuis absque grauissimis causis haec appellatio non possit locum habere.

*Prouocatio
contra impos-
itionem perpe-
tui silentii,*

*contra decre-
tam commissio-
nem.*

habere. Neque enim haec remedium iniquas machinationes souere aduersariorum debet: quum potius iura pro *futura defensione* talem receptionem testium regulariter admittant. De decreto commissionis ad examen simplex testium, inaudita parte edito, secundum praxin camerae idem dicendum; *cum melius sit ab initio prouidere*: Conf. LYNCKER c. l. cap. 3. P. II. §. 19. n. 15. *sq* si periculum in mora sit. GAIL I. obs. 102. n. 4. De transactione et actione super annuis et mensuis legatis etiam in futuros annos praestandis cap. I. iam diximus. Transaction super alimenti futuri auctore praetore etiam subsistit. l. 8. D. de trans. In fraudem futurae actionis alienari, nequit. l. 68. §. 1. D. pro socio. Super iure futuro pacifici possumus. l. 46. D. de pac^t. Vendi hereditas deferenda et futura potest, si consentiat is, de cuius hereditate agitur, et in consensu persistat. l. f. C. de pac^t. Pupillus aduersus futuram calumniam ad iudicium prouocare potest. l. vlt. C. de usur pup. Ad item futuram procuratorem dari posse, traditur in l. 3. C. de proc. Fideiⁿslor futurae obligationi dari potest, dummodo sit aliqua vel naturalis futura obligatio. l. 6. §. 2. D. de fidei. Futura etiam obligatio in stipulationem deduci potest l. 89. de V O. Futurae obligationis nomine hypothecae dari possunt. l. 5. pr. D. de pignor. In depositi actio venit etiam dolus futurus, i. e. post item contestatam. l. 1. §. 2. D. de pos. Iudex arbitratur, quomodo in futurum vti frui debeat. l. 13. §. 1. D. de usur.

§. XIII.

Insigne ad iuris futuri conseruationem quoque momentum (VI) faciunt depositiones testium ad perpetuam rei memoriam. Fundatum est hoc extraordinarium testium examen in l. 40. D. de l. Aq., vt quidam volunt, quorum mentem cap. I. adduximus, et cap. 5. X. vt lite non contest. cap. 41.

Sextum remedium conseruandi ius futurum est examen tertium ad perpetuam rei memoriam.

X. de test. quod examen reo indulgetur indistincte ante litem motam, quam tamen timet: utpote in cuius potestate non est, quando conueniri velit, sed saltim in futurum sibi hoc modo prospicere potest; MYNSING. cent. 4. obseru. 71. quam materiam optime explicuit WERLHOE de exam. test. extraord. Quando vero actori hoc remedium competit, recenset GAIL. I. obs. 92. n. 3. Casum, quo haec probatio etiam per documenta fieri possit, refert STRYK. us. mod. tit. de test. §. 22. et quae huc pertinent, DN. PRAES. tom. I. iur. eccles. lib. II. tit. 6. §. 9. explicat: licet probationem ad perpetuam rei memoriam per documenta in camera non admitti, obseruet GAIL. I. obs. 94. n. 1. Quis igitur utilissimum hoc esse remedium ad iuris futuri probationem, adeoque conseruationem negauerit? Praecaetur enim hoc modo, ne probationes iuris vel actionis in futurum prosequendae facile pereant, vel, ut dicitur in c. f. X. ut lite non conteſt. ne veritas occultetur et probationis copia causibus fortuitis subtrahatur.

§. XIV.

Sepiuimus remedium iuris futuri conservandi est processus arresti. Multum insuper (VII) ad iuris conseruationem facit processus arresti. Quodsi enim ius vel debitum persequi nondum licet, is vero qui arrestum petit, docere summariter possit periculum amittendi debiti vel concursus imminentis, sibique ab arrestato deberi; quod per productionem cambii vel chirographi in copia videntia fieri potest: per arrestum legitime imperatum in Saxonia ius in re, ad instar hypothecae nanciscitur, et in classe tertia inter hypothecarios ponitur. Qui processus in Saxonia praeципue obtinet, in electoralium tamen effectum suum nuper amisit per emend. ordinat. process anno 1724, tit. 48. sicuti etiam de iure communii hunc effectum non habet, sed tantum ad securitatem creditoris tendit.

tendit. Multum tamen interesse inter arrestum, quod tendit ad meram crediti securitatem, et quod quaeritur ad citius consequendum solutionem, seu reum coercendum, quo satisficiat, ait M.E.V. i. decis. 240. et in tract. de arrest. cap. 25. n. 40. sq. quia priori casu cautione arrestum de iure communi tolli potest: non posteriori, quo demum solutione relaxatur, regulariter. Sunt vero arresta regulariter prohibita, SCHVRFF. cons. 15. n. 1. sq. MYNSING. resp. 66. n. 14. dec. 7. tanquam remedium extraordinarium, odiosum et exsequestationis species, atque in dubio altera parte non audit a non decernenda, nisi ob morae periculum: adeoque circumspecte a iudice hic agendum. Egit prolixus de hoc argumento GAILIVS peculiari tract. de arrest. et quatenus illa executiones sententiarum sint, et inter status imperii obineant, cap. 1. n. 15. moribus Germaniae ea nihil aliud esse, ait, quam reales citationes; quia persona sif situr, aut eius bona impediuntur ad illum efficiendum, ut arrestatus tacito arrestationis affectus coram iudice loci compareat, pacata conuenta seruet, debitum dissoluat, aut in dubio cautionem iudicio sif sit et indicatum solui, arrestatori praefet. Nam ad extorquendam hanc cautionem in casu dubio arresta potissimum comparata sunt, quo facit l.s. pr.D. ut in poss. leg. Praestita cautione de iudicio sif sit et iudicatum solui, ipso iure arresta soluuntur. GAIL. c.l. cap. 2. n. 7. Quod si ergo per inique impositum arrestum, iniuria ratione existimationis alicui illata, injuriarum agi potest, tam contra impetrantem, quam iudicem: M.E.V. dec. 389. quamuis alias saluberrimum sit remedium ius suum conseruandi, et periculum amittendi iuris auertendi.

§. XV.

Per noui operis nunciationem (VIII) iura itidem sarta teataque seruantur, quae facienda respectu operis

F 3

Ostatum remedium est in
nouii operis
nunciatione.
vel

vel inchoati, *l. 5. §. 2. D. de nou. op. nunc.* vel inchoandi, *l. 21. §. 3. eod.* quod vergit in alterius praecidicium. *l. 1. §. 11. eod.* Est illa vel realis vel verbalis vel iudicialis. Verbalis aduersarium facit possessorem: realis illam nobis tuetur. Unde si in nostro ab alio aliquid fuit aedificatum, consultius realis adhibetur: si in suo, quamuis in nostrum praecidicium, verbalis vel iudicialis adhibenda. *l. 5. §. 10. d. t.* Priuata prohibito *noui operis nunciatio* primario dicebatur, opposita nonnunquam praetoriae seu iudiciale: *l. 3. §. 2. d. t.* adeoque non semper denegatur hoc interdictum, si vel maxime nunciatio priuata negatur. Imploratio officii iudicis magis visitata hodie pro decernendo mandato inhibitorio sub poena demolitionis, quam illa priuata prohibitio. Quid? quod nunciatio priuata tantum usum habuisse videatur, ubi periculum in mora erat. Exorbitans enim et a iuris ratione alienum est, sine iudice sibi ius dicere, ut probatum dedit *DN. PRAES. tract. de action. sect. 2. cap. 4. §. 44. vid. EIVSDEM diss. de poena sibi ius dic. fine iud. cap. 1.* Valde interim conductit, ad opus in praecidicium meum faciendum impediendum. Morbo enim futuro semper praestat occurtere quam praesentem depellere. Atque facilius opus fieri prohibetur, quam ad perfectionem deductum destruitur. Quodsi prohibitus contra prohibitionem legitime factam aedificat, nunciante datur editum demolitorium, *l. 20. §. 1. b. t.* vel hodie mandatum *S. C. LYNNCKER cap. 5. sect. 1. §. 13. n. 10. sqq.* a *VLDOOLF iure cam. sect. 1. §. 10. pag. 140.* Et licet cautio de destruendo aedificatum, si post adparebit, contra ius aedificatum esse, acceptanda sit: *l. 5. §. 17. d. t.*, hac tamen nunciante contra omnem damnum munitus est, et sic etiam sibi contra damnum futurum, seu imminens, sibi nunciante satis prospexit.

§. XVI.

§. XVI.

Porro (IX.) contra grauamen futurum iudicis *exceptio suspecti iudicis* in promptu est, quo iudex, qui vel infestus, vel alio modo non incorrupte iudicaturus creditur, reculari potest. Causae vero suspicionum iure ciuili legitime sunt probandae. Id quod quum saepe non sine periculo et difficultate fieri possit: nouum quoddam excogitauit remedium *ius canonicum*, quo facilius quiuis iudex reculari, et forum ordinarium declinari possit, scilicet per iuramentum, quod vocatur, *perhorrescentiae*, quo quis adseuerat, se valde timere, ne ab inferiore iudice aequam et incorruptam iustitiae administrationem impetraturus sit, definiente LAVTERBACHIO *diss. de iuram. perhor.* §. 6. vt adeo a reo probatio suspicionis non requiratur, si petat se admitti ad iuramentum perhorrescentiae, vbi iurat; daß er nicht glaube, noch sich versehe, daß iudex N. ihm wider Titium gleiche durchgehende iustiz administriren werde, quam formulam suppeditat BERGER in *discept. for. ad proc. Saxon. lib. 2. p. 353.* Solam igitur timoris allegationem sufficere, docet FELTMANNVS *de iur. perhor. l. 1. c. 4.* cuius iuramenti sedes est in c. II. de *rescript. in 6to.* Denique hoc iuramentum vsum non tantum contra singulos, sed etiam contra integra collegia, locum habet, quum nulla possit diuersitatis ratio dari, vti RESONSO HALLENSI mens. Nou. 1708. declaravit DN. PRAESES *iur. eccl. lib. 2. tit. 2. §. vlt. vbi §. 69. sqq.* solidam huius iuramenti rationem et naturam explicat. Nemo igitur non videt, prodesse hoc remedium litiganti ad se se contra grauamen a iudice inferendum tueri: quod melius est, quam a grauamine illato appellare. De grauaminibus, quae a iudice procedunt, peculiari capite agit LYNCKER *c. tract. cap. 3. parte 2.*

*Nouum remedium ei rebus
satio suspecti iudicis.*

§. XVII.

*Decimum est
inveruenio.*

§. XVII.

Non inepte (X.) porro inter remedia ius futurum conseruandi refertur *tertii interuentio*. Quodsi enim inter alios causa agatur, haec vero etiam tertium eatenus contingat, vt eius, si non in praefens, saltim *in futurum* interesse queat: tertio etiam extrajudicialiter grauato appellare licere docet LYNCKER c. ira*g. cap. 4. §. 8. n. 1. sq.* Ita tertii, veluti venditoris, interesse potest, ne res vendita euincatur, ob futuram, ad quam emtori obstrictus est, euictionis praestationem, ideoque ad rem sartam etiamque seruandam tertius pro suo interesse interuenire, et causae vna cum principali adfistere potest; *l. 63. D. de re iud. l. 29. D. de inoff. t. 7. vid. GAIL. 1. obf. 70. n. 1. MEV. 1. dec. 10. n. 1.* quid inuitu principali interuenire tertius ab interesse futurum possit. *l. 19. C. de liber. cauf. l. 14. D. de appell.* Difficilior enim post executionem futura est iuris tertii executio. *MEV. 1. obseru. 18. n. 5.* quum propriam defendat causam, *l. 2. §. 1. D. quando appell.* ex qua lucrum sperat aut damnum metuit. Quamuis enim inter alios acta tertio non praeiudicent, id tamen non vniuersale est, et sic etiam interuentio eo magis admittenda, quod etiam ab actu inter alios celebrato tertius appellare queat, vt a transactione, si praetendat, factam illam esse in sui circumuentionem; *v. GAIL. 1. obseru. 7. n. 14.* denique consulere etiam sibi per protestationem possit etiam extrajudiciale, LYNCKER c. l. cap. 4. §. 8. n. 5. vbi plures adduxit casus, quibus res inter alios acta tertio praeiudicet. Praeterea tertius interdum et *sme principali interuentione* agere potest: quum tertii forsitan plus interficit, vt pote si superior ciuem cuiusdam ciuitatis ad aliud molendinum ire prohibeat, hic vero sibi exinde nihil damni inferri videat, quod prohibentis molendino vtarur, adeoque obsequi decreto prohibentis non recuset,

magistra-

magistratus tamen vel ciuitas, cuius interest, libertatem ciuum suorum non imminui, prouocare potest, ne in futurum et caeteris eadem seruitus imponatur. Plura exempla adfert LYNCKER c. I. §. 10. quae docent; propter quale quale tertii interesse appellari posse. l. 6. D. de appell. MEV. 3. dec. 214. n. 5. Quum inter debitorem et primum crediteorem causa agitur, secundus pro suo interesse etiam interuenire potest. MEV. 4. dec. 288. Id enim secundus tantum habiturus est, quod deducto potiore credito superperest, l. 20. D. de solut. et secundi maxime interest, sincere et sine collusione cuncta agi. Quodsi ergo tertius interesse suum, etiam futurum, doceat summarie, recte interuenit, quum etiam appellare queat. GAIL. I. obseru. 122. MEV. 4. dec. 342.

§. XVIII.

Saepe etiam (XI.) *ius futurum*, ob citationem creditorum quoruncunque ad motum concursum, in iudicium deduci et ita conseruari potest. Quaeritur enim: vtrum qui, ius conditionale, cuius existentia a futuro incerto adhuc dependet euentu, habent, concursu creditorum sese immittere queant, vt conditione forsan, vel casu eueniente, facilius iuris sit persequutio? Eleganti sponsonum exemplo rem illustrare iuuat. Ponamus, quosdam sponsiones super re licita, veluti futuro quodam euentu, iniisse. Hic, pendente casu vel futuro euentu, ius dubium plane atque incertum est; quaeritur ergo: an, si pendente hoc euentu concursus super alterius spondentium bonis oriatur, alter ob hoc ius euentuale classificari possit? Occurrunt saepe in pactis dotalibus promissiones conditionales, veluti de dotaliis vxoris ex feudo praeflando, si maritum superuixerit, cuius euentus, adhuc viuente debitore, incertus est. Saepead sunt creditores, quibus in diem debetur, vt actionem in

G

praesenti

praesenti mouere non possint; qui tamen moto concursu, de securitate iuris futuri solliciti esse debent. Atque hos quoque, moto concursu, audiendos esse, existimo, ad hunc effectum, ut euentualiter etiam locentur. l. 4. D. de separat. Hoc vrgens necessitas iustificat, quod aliquin inanis futura sit actio eueniente conditione et die, adeoque eos quoque citandos esse, ait BRVNNEMANVS de concurs. cred. c. II. §. 7. Vnde etiam olim creditor conditonalis in possessionem bonorum seuandorum causa mitti poterat per l. 6. pr. quib. ex caus. in poss. eat. quidni ergo in tali naufragio rerum debitoris ad concursum esset admittendus, et euentualiter locandus?

§. XIX.

Duodecimum
remedium pro
iure futuro
conseruando est
transactio.

Praeterea vero (XII) etiam inquirendum est: vtrum etiam pro conseruando iure futuro, veluti fideicommissio, transactio permissa sit? et an fideicommissarii de fideicommisso, tanquam iure futuro inter se valide transfigere possint, vt lites futuras grauiissimas evitent? Prolixius hanc quaestionem examinat HARPRECHT de transact. super fideicommisso inter pers. ad illud vocatas, quam paucis examinabimus. Est videlicet eiusmodi transactio fideicommissi dubii inter personas ad illud vocatas, aliquo dato vel retento, conuenta decisio, ut futuris litibus obuium eatur. Ansam praebere eiusmodi transactioni possunt, vel incertitudo conditionis seu futuri euentus, ad quem testator vel fideicommissi institutor respexit; vel lites, quae de praesenti super fideicommisso iamiam motae sunt, vel in posterum metuuntur. l. 1. C. de pac. l. 2. l. n. C. de transact. Hoc vero adfirmat et defendit HARPRECHT. c. I. §. 5. n. 4. ex l. n. C. de transact. cuius verba haec sunt: de fideicommissio a patre inter te et fratrem tuum vicissim dato, si alter vestrum sine liberis exceperit, interposta transactio rata est.

Ex-

Expendi etiam pro hac sententia potest *I. 78. §. fin. D. ad SCum Treb.* et *I. i. C. de pac*t*.* cuius verba notabilia haec sunt: *conditionis incertum inter fratres non inquis rationibus conventione finitum est. I. 16. C. cod.* Valida ergo perhibetur fideicommissi alienatio, si omnes de familia in alienationem consentiant. *I. 120. §. i. D. de Leg. 2. conf. KNIPSCHILD cap. ii. n. 329.* Et haec quidem quoad fideicommissum simplex et purum certa sunt, quum fauori et iuri suo renunciare cuius sit integrum. *I. pen. C. de pac*t*. I. '51. C. de episc. et cler.* De fideicommissio conditionali et in diem relictio quidam vel ideo dubitant, quod iuri futuro renunciari non possit per *I. 45. §. i. D. de leg. 2.* Idem tamen de hoc dicendum esse euincunt FVSAR. de fideic. quae*st.* 587. *n. i. sqq. KNIPSCHILD cap. 16. n. 120. sq. qui fauorabilem eam transactionem esse ait, quod votum captande mortis auferat. I. ii. C. de transact.* ALCIATVS ad *I. i. n. 9. C. de pac*t*.* CARPZ. P. 2. Conf. 35. n. i. sq. et inter fratres concordiam alat, ac aequalitatem seruet. Conf. PETRVS de PETRA de iure quae*st.* per princ. non toll. c. 6. Part. II. n. 96. etc. 29. n. 56. KNIPSCHILD. cap. ii. n. 102. Idem etiam in bonis maioratus procedere, scribit MOLINA de Hisp. prim. cap. 9. n. 30. VRCEOL. de transact. Quae*st.* 50. n. 48. Ceterum si inter omnes de familia controuersia super fideicommissio oriatur: ad transactionem consensum maioris partis non sufficere, contendit HARPRECHT de success. tract. 5. §. 9. et potius omnium consensum desiderari, adeo, ut uno quaque contradicente transactio non succedat, *I. 120. §. i. de leg. i. I. ii. C. de fideic.* *I. 8. D. de aqu. plur. arcend.* quia singulorum de corio hic luditur. Causa impulsiva transactionis huius est euitatio litium futurarum, *I. 2. C. de transact.* quas qui exsiccatur, a verecunda cogitatione merito laudatur a ICTO in *I. 4. §. i. de alien. iud. mut.* Obiectum igitur transactionis huius est

52 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IVS FVTVRVM

fideicommissum dubium per d. L. i. C. de transact. sufficit tamen sola futuri eventus incertitudo, vt in fideicommisso conditionali, simplici et reciproco, de quo loquitur l. i. C. de pact. l. n. C. de trans. Incerta est enim conditio, vter scilicet fratrum prior vita sine liberis excessurus, suamque portionem alteri relicturus sit? Ob quem dubium et plane incertum mortis, et obuenturae hereditatis euentum remissionem fideicommissi dato aliquo et accepto omnino sustineri autumant GILKEN ad d. l. i. C. de pact. n. 9. sq. VINNIUS de trans. c. i. n. vlt. et cap. 4. n. 3. BRVNNEM. ad d. l. D. de trans. n. 2. multo magis lite super fideicommisso mota, eaque in iudicio adhuc pendente, transactio permittitur. Tunc enim fideicommissum manifesto dubium est, dummodo evidens calunnia non deregatur, vt recte limitat HARPRECHT. c. l. §. 19. n. 18. Sufficit etiam timor, periculum, suspicio litis futurae, vt fideicommissum pro dubio habeatur arg. l. 2. C. de trans. modo hic timor probabilis sit, nec falsis persuasionibus atque mendaciis, dolose confictus, aut ex levitate excogitatus, et colorate propositus de prehendatur, vti IDEM c. l. n. 31. recte iudicat Non vero sola transigentium assertio sufficit, qui lites possent fingere: sed aliunde de lite vel eius probabili existentia adparere oportet, vt pluribus probat HARPRECHT. cit. l. §. 20. Admittendo vero transactionem super futura fideicommissi successione concurrentibus dictis circumstantiis, nihil detrahimus sententiae nostrae cap. I. comprobatae, quod actio super iure futuro in iudicio non subsistat. Quamuis enim agi super iure futuro nequeat regulariter: res tamen futurae et spes ipsa in contractum et transactionem recte deducitur. Sic v. g. emi vendi spes potest, l. 8. §. 1. de contr. emt. tametsi ex legato vel fideicommisso conditionali proueniat: arg. l. II. 17. et 19. D. de hered. vel aet. vend. spes

spes futurae actionis etiam donari potest, *I. 3. C. de donat.*
 et per pactum deterior reddi. *I. 21. §. 4. I. 46. D. de pac*t*. vid.
 BRVNREM. disp. de sp*e* cap. 3. n. 18. sqq.* Quibus accedit
 vnanimis Doctorum, quos adducit HARPRECHT. c. *I.*
§. 22. consensu, pacto fideicommissum conditionale remitti posse. Quadrant luc verba GALERATI de renunc.
44. n. 13. quae recenset HARPRECHT. c. *I.* §. 23. n. 9. sqq. Ait
 GALERATVS: *In iure futuro duo consideranda, nempe ipsum ius
 futurum, et spes, quae appellatur incertum quid. Ipsum ius
 futurum recte dicitur non esse in rerum natura, nec ulli quae-
 situm; ipsa spes vero, sive illud incertum, quod distinctum est a
 iure futuro recte deducitur in contractum, ita ut remittendo il-
 lam, remisso quis videatur expectationem illam, quae pendet
 a quodam futuro eventu. Nec ideo dicendum, quod se priua-
 tur iure quodam, quod non habuit: siquidem spes, debitum
 iri, iam quaesita est remittenti, et de praesenti illi competere
 dicitur. VINNIUS d. *I.* cap. 18. n. 4. FV SAR. quae*st.* 310. n. 8.
 sqq.* Ex eadem ratione fideicommissum familiae ne qui-
 dem extra obiectum huius transactionis vagari, probatum
 dedit HARPRECHT c. *I.* §. 26. quod quidem ex LL. et au-
 toribus antea adlegatis facile adparet. Maius vero du-
 bium occurrit, si is, qui fideicommissum familiae consti-
 tuit, transactionem expresse prohibuerit, cuius voluntate
 seruandam nec ullo modo circumueniendam esse, tam
 sevère inculcant leges, adeoque geminata hic concurrevit
 prohibitio hominis et legis. Verum hoc nihil impedit,
 quo minus requisitis supra notatis concurrentibus valida
 eiusmodi subsistat transactio. *Quid si enim, ait HARPRECHT*
*§. 43. n. 2. sqq. institutum fideicommissum perpetuum in aliqua fa-
 milia sit pomum Eridos, atque ansa futura, ut exinde grauissi-
 mae inter liberos et parentes, inter fratres germanos horum
 que posteros collisiones, odia, lites propullulent, ut ex illis non*

54 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IUS FVTVRVM

*Saltem ipsius familiae ruina enasci, verum etiam reipublicae quies et salus facile aliquid detrimenti capere posset? Nonne eiusmodi prohibitio de non transigendo, quum sit litium nutrimentum, contra bonos mores esse dici posset? Utta- ceamus, quod Doctores praeceptum de non remittendo fideicommissum per modum consilii factum interpretentur. GILKEN ad l. i. n. 24. G. pac*t*. Sola etiam maioratus vel iuris primogeniturae institutio obstare non poterit, quo minus super eiusmodi fideicommisso bona fide celebra-ta transactio subsistat, fatente MOLINA de Hisp. primog. lib. I. c. 1. n. 15. etiam si hi maioratus peculiares suas habeant leges et consuetudines. Transactione ergo dicto modo perfecta, transigentes fideicommissarii eidem sta-re fine dubio tenebuntur, praeculfa omni contravenien-di facultate. I.g. §.1. D. de aqu. plur. arc. Nec ad iura valide renunciata et remissa ullus porro datur regressus. arg l. n. C. de fideic. l. 120. §.1. de leg. l. 14. §. 9. de Aed. ed. l. 21. D. de min. l. 4. C. de pac*t*. Non enim minor transactioni huic, quoad ipsos transigentes, quam rebus iudicatis tribuitur auctoritas, arg. l. 20. C. de trans. adeoque exceptione trans-actionis, quae est litis finitae, a limine iudicij repellitur petitor, vti sunt verba HARPREHTI §.33. n. 7. ne alioquin remedium finiendarum litium, fiat earundem seminarium. l. ii. f. C. de R. cred. vid. MERLINVS dec. 767. Nec conditio-ne postea exsidente, veluti si liberi ei nascantur, audiendus est transigens; neque enim amplius consideratur, quod accidit, sed quod ante transactionem celebratam accidere posse sciuit, quum alias vix leoninae conuentio-nis notam effugeret haec transactio, bene obseruante GIL-KEN ad l. i. C. de pac*t*. n. 14. sq. Ante omnia tamen bona fides in transactione obseruata desideratur, ita, vt euidenter de ea constet, ne quisquam quoad eam tam circa causam, quam modum*

*modum transigendi defectus admittatur. Causam legitimant lites, quas ante adduxi, inter fideicommissarios intricabiles, quae si tanti sint momenti, ut contra omnes in futurum in fideicommissum successiones excitari facile queant, et eorum futurum succedendi ius non minus quam transigentium praesens dubium efficere valeant: palam est, bonam fidem in aprico positam esse, et commodum non minus in hac transactione *futurorum successorum*, quam *transigentium* versari, consequenter et ad illas se extendere obligationem. Circa modum vero transactionis nihil deficit, si integra transactione *sincere et prudenter*, sollicitorum administratorum more, perfecta: si interesse futurorum successorum non neglectum: si transigentes facto demonstrarunt, se defuncti voluntatem, quoad fieri potuit, sancte ac sollicite servasse: vid. VRCEOLVS quaeſt. 50. n. 27. si denique fideicommissi possessor nihil, quod ad suam defensionem conferre potuit, intermisit. vid. PEREGRINVS de fideic. art. 52. n. 81. CARD. de LVCA tom. 10. tit. de fideic. disc. 94. n. 3. Rechte ergo MERLINVS dec. 767. n. 12. ait: *Materia fideicommissorum adeo anceps est et perplexa, et illorum eventus in iudicis tam incertus, ut fere semper laudabilis videri possit et proficia transactio.* Quodsi e contrario ius transigentis apertum nec praegnantibus obnoxium dubiis, adeoque persequutio eius fuisset facilima: bona fides deficit, magisque imprudenter facta censetur, adeoque eo casu in alia omnia ire, suadet aequitas.*

§. XX.

Denique (XIII.) iure Germanico etiam *pactis successoriis* ius futurae successionis sartum rectumque conservari potest, quorum efficaciam contra iuris Romani principia probatam dedit DN. PRAES. de *success. coniug. ex pact. dotal.* et eruditely illustravit ill. DN. HEINECCIVS in elem. jur.

Decimum tertium remedium occurrit in pactis successo viis.

56 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IUS FVTVRVM

iur. Germ. tom. I. lib. II. §. 149. Non prolix species pactorum horum persequar, sed paucis tantum adsero, de futura hereditate adquirenda non tantum coniuges, sed alias etiam valide pacisci posse: quum quod coniugibus iure Germanico permisum, aliis quoque denegari nequeat. Neque vero talia pacta coniugum de reciproca successione propterea quinarium numerum testium desiderant, nec revocabilia sunt usque ad extremum vitae halitum, ceu de testamentis iura Romana disponuerunt. Haec enim principia iuris Romani ad instituta iuris Germanici, quae iuri Romano prorsus repugnant, trahi nequeunt, vt recte obseruauit D.N. PRAES. cit. diff. circa fin. et in praef. tom. II. consuli. et decij. §. VI. Pariter pro conseruanda fratribus hereditate filiae illustres in pactis dotalibus renunciare solent futurae successioni parentum, quae pacta iure Romano vi omni destituta, iure Germanico tamen pariter rata sunt, licet ius canonicum iuramentum praeterea desiderauerit. Eo magis autem fauorem haec pacta merentur inter nobiles et illustres, quod his pactis antiqua iuris Germanici dispositio, qua successio filiarum tantum subsidaria erat, conseruetur, vt optime obseruauit GVNDLING in diff. de renunc. fil. ill c. II. §. 4. At quum Romana et canonica instituta fora personarent, promiscua liberorum successione variis argumentis defendi coepit: non poterant non nobilibus viris in mentem venire dictae renunciations. Neque enim illae eo fine ac sensu suscipiebantur, vt ius renunciantibus competens abticeretur, atque masculis ad crescere. Sed vt duntaxat indicaretur, nolle feminas illustres et nouo iure, quod in foris circumstrepere occipiebat, praefidum petere, sed vetusto mori eas reliquias locum. Quamdiu enim peregrina exsulabant iura, renunciations filiarum nec necessariae fere erant, nec utilles: ipsa lex patriae excludebat sequioris sexus prolem, quod

quod igitur hac parte suscepimus; cautionis ac securitatis gratia placuit, ne forte Romanis innutriti principiis negotium facerent antiqua tuentibus. Vnde et inutilis formula: *bis auf einen ledigen Anfall*, qua sibi in casum extincti sexus masculini hereditatem referuant: cum illis subsidiaria successio, masculis extintis, in dubium haud vocetur, ut taceam, quod, quum nihil ex suo iure cesserint, nihil sibi reseruare possint. Diversum statuendum circa pactum de hereditate *terrii cervi viventis*, et non consentientis, quod merito iura reprobarunt per *I. 30. C. de pactis*, in qua vocatur *pactum de aduentura hereditate*, cuius usum hodiernum nuper admodum ex solidis fundamentis probatum dedit perill. *DN. DE LVDEWIG diff. de differ. iur. Rom. et Germ. in pactis de Superflit. heredio.*

§. XXI.

Praecipuis remediis, quae pro iure priuato futuro conseruando prodita sunt, enodatis, ex IVRE CANONICO, primaria capita, ad tractationis nostrae illustrationem facientia, producere iuuabit. Ab initio huius capituli satis superque dictum, quid ius canonicum circa iuris futuri conseruationem per *appellationem* contra quodvis *grauamen inferendum et futurum* disponat, quibus generalibus specialia quaedam exempla et casus ex iure canonico addam. Videlicet, prout pontifex generaliter facilis est in *appellationibus recipiendis ex rationibus*, ut supra diximus, admodum politicis: ita nec eos auxilio destituit, qui largissimum hoc *appellationis beneficium* adprehendunt, contra imminentis quodcumque praediudicium ex instanti *futura electione, postulatione, beneficii collatione, prouisione, inuestitura ecclesiastica*, et aliis. Conf. LYNCKER de *grauam. extrai. cap. 3. P. II. sect. 2. §. 1. n 4.* *Sqq. pag. 230.* Circa electionem praelati obseruo, quod sic-

uti

*Ius canonicum
eriam indulget
appellationem
in materia be-
neficiorum.*

H

58 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IVS FVTVRVM

*veluti contra
electionem.*

utie ea praescripto ordine, absque omni fraude et collusione, peragenda, ita si quis plurimos e capitulo eligentium contra se pecunia corruptos suspicetur: si quidam capitulares, qui vota forsan sua illi destinauerant, non legitime vocati vel exspectati fuerint: si aliud quid in odium ac praeiudicium suum in actu electionis fuerit suscepimus: grauatum se putans, appellare ad pontificem, vel in capitulis immediatis imperii protestantium, ad imperatorum potest, qui ex iusta causa inhibere actum electionis possunt, adeo, vt, quod contra hanc appellationem attentatum, nullum ac reuocandum sit. Dilucidis haec pontificum constitutionibus conualidari poterunt, veluti BONIFACII VIII. in cap. 8. de appell. in oto. vbi statuit; ut ab electionibus, postulationibus, prouisionibus et quibuslibet actibus extra judicialibus, (in quibus potest appellatio interponi) quisquis ex eis grauatum se reputans, per appellationis beneficium grauamen illatum desiderauerit reuocari, intra decem dies (postquam scierit) si velitis, appetat. Similiter INNOCENTIVS IV. in cap. I. de elect. in oto. notanter ait: ut si quis electionem, postulationem vel prouisionem faciam impugnat, in formam obiciens aliquid vel personam, et propter hoc ad nos appellari contigerit; tam is qui opponit, quam qui defendit, et generaliter omnes, quorum interest, per se vel procuratores ad causam instructos, ad sedem apostolicam a die obiectonis iter adripiant intra mensem. Nullum vero eiusmodi electionis actum contra appellationem interpositam continuatum pronunciat INNOCENTIVS III. in verbis initialibus cap. 19. X. de elect. cum autem ex utriusque partis assertione constaret, interpositam suisse appellationem, ne fieret electio, nisi canonica, videri poterat, quod post eam medio tempore nihil debuit innouari: unde talis electio iudicanda erat irrita et inanis, ut pote post appellationem canonice interpositam attentata. Idem repetit in cap. 29. eod in fine.

Exem-

Exempla quaedam grauaminum, ob quae ad curiam Romanam appellatum, suppeditant d. cap. 19. et 29. X. de elect. et cap. 45. X. de appell. Illustrē itidem exemplum appellatio-
nis contra inordinate factam electionem abbatissae Quedlinburgensis exhibet D.N. PRAESES in iur. eccles. tom. I.
lib. 2. tit. de elect. §. 44. sq. et §. 49. sq. vt valde hoc adpella-
tionis remedium conducat ad actum electionis, in quo
appellans varia in suum praejudicium commissa esse, sum-
marie docere debet, impediendum et prorogandum, quum
facilius eiusmodi actus inhibeatur, quam ad perfectionem
deductus annulletur. Nec obstat, nullum alteri ante
electionem perfectam ius quaeſitum esse. Sufficit enim
de iure canonico ad appellandum grauamen imminens et
inferendum per cap. 18. X. de appell. vti superius monstratum. Tale imprimis praeiudicium esse potest in Germa-
nia; vbi per electionem capitularium non tantum prae-
fules ecclesiastici; sed simul creantur electores et principes
imperii. Quis vero sibi eiusmodi illustrē dignitatem per
iniquam machinationem forsan eruptum iri extimescens,
acheronta non moteret, praefertim si ei accedat pars ca-
pituli minor quidem, sed *fanior*, et rebus Germaniae ac
paci publicae interiuens voluntas? Aequale enim in no-
stro imperio principes ecclesiastici cum secularibus in
comitiis habent pondus, purpura non minus quam gla-
dio et sceptro conspicui, ita, vt extra dignitatem et statum
ecclesiasticum cum Italiae aliorumque regnorum episcopis
comparari nullo modo possint, et vix reprehendendus cen-
seatur, qui ad actum tales impediendum aut protestandum
quaevis tentat. Impedit haec appellatio ius *deuolutionis*
ad superiorē, qui hoc ius exerceat, si intra praescriptum
tempus vacanti beneficio haud prouideatur. Appellatio
enim instantem electionem necessario suspendit, adeo, vt

H 2

ea

60 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IUS FVTVRVM

ea non obstante facta foret nulla per cap. 10. et 19. X. de elect.
conf. modo cit. ius eccles. tom. I. lib. 1. tit. de suppl. neglig. prael.
§. 6. Sq. Constitutum enim hoc ius deuolutionis esse, ait
INNOCENTIVS III. in cap. 41. X. de elect. ne pro defectu
pastoris gregem dominicum lupus rapax invadat, aut in facultau-
tibus suis ecclesia viduata graue dispendium patiatur, et quidem
in poenam negligentiae, qua cessante poena quoque de-
volutionis cessat.

§. XXII.

Contra postula-
tionem,

Idem appellationis beneficium indulget pontifex
contra postulationem, vti verba §. antec. expressa cap. 8. de
appell. in 6to. et cap. 1. de elect. in 6to. declarant. Contra quam
ex iisdem, quibus contra electionem, appellatio recipi-
tur. Grauari enim praecipue ex postulatione potest con-
currens eligibilis, qui per duas tertias a postulabili supera-
tus, varia in actu electionis in sui praeiudicium et ille-
gali more facta allegans, vel postulabili defectum indis-
pensabilem obiciens, contra instantem actum postula-
tionis appellare potest. Appellatur autem hic tantum
super praeiudicio futuro, quum nulli eorum ius adhuc
quaesitum sit eligibili modo excluso per maiora, po-
stulabili vero ante dispensationem a superiore impetratam
omni iure destituto, per cap. 5. X. de postul. prael. Idem in cit.
cap. 1. de elect. in 6to. extenditur in genere ad prouisiones quas-
unque, nec in genere ab hac appellatione eximitur bene-
ficii collatio per cap. 8. de appell. in 6to. et cap. 45. X. de appell.
Sic enim in cap. II. de appell. in 6to. pronunciat BONIFACIUS VIII.
dicens: *A collatione beneficii, quam communi-
ter per episcopum et capitulum in tuum praeiudicium factam esse
proponis, te ad superiorem oportet appellare. Ab inuestitura
ecclesiastica etiam legitime ad pontificem fuisse appellatum
probant verba cap. 46. X. de appell. et cum tibi veller domum et
inuestitu-*

Contra benefi-
cii collationem,

inuestituram
ecclesiasticanam.

inuestituram porrigere, decanus ad sedem apostolicam appellavit, contra te impotentiam allegans. Aliarum denique contravarias molestias appellationum exempla suppeditant cap. 51. et 57. X. de appell. vnde LYNCKERVS de grauam. extracte ait: cap. 1. sect. 1. §. 6. n. 3. sqq. Aut persona publica, una vel plures, in actu publico, extra iudicium peragendo, iniuste et cum grauamine prouocantis versantur, v. c. si beneficium alteri cuidam in praeiudicium meum collatum sit, vel ego, ne electio itemque collatio fiat, metuo: Sic enim ab inferendo etiam grauamine prouocari posset. Ceterum patronum etiam pro futuro praeiudicio auertendo appellare posse, docet LYNCKER. cit. tr. c. III. P. I. §. 6. n. 3.

§. XXIII.

Quamuis autem ius canonicum ratione futuritam benignum deprehendatur: absolute tamen (1) INNOCENTIVS III. in cap. 36. X. de elect. prohibet deliberationes super futura episcopi electione institui episcopo adhuc viuente, in extremo licet mortis articulo constituto, vt indicant verba c. cap. 36. episcopo in extremis agente, cum de conualescentia ipsius desperaretur. Quid quod omnes eiusmodi deliberationes interdictae sint, antequam defunctus episcopus terrae mandatus, vti adparet ex eiusdem cap. verbis: *corpo episcopi nondum tradito sepulturae, habuerunt de ipsa electione traclatum contra canonicas sanctiones.* Vnde et coadiutor, qui morbo vel senio confecto praelato in adiutoriorum datur, primario ob spem succedendi non constituitur, et magis proepiscopus et vicarius, quam coepiscopus est, quum canones duos in ecclesia episcopos tanquam monstrum abhorreant, per cap. 14. X. de off. iud. ordin. quamvis id pontifex iure nouo non adeo adsperrnari videatur: dum concurrentem sibi adrogat cum omnibus praelatis potestatem, secundum CONC. TRIDENT.

Institui nequit
viviante episcopo
deliberatio fu-
per futura elec-
tione.

seff. 25. de reform. cap. 7. Coadiutor tamen etiam ob spem futurae successionis, causa diligenter a pontifice cognita, dari potest, si nempe variae ex sedis vacantia metuuntur ratione causarum publicarum contentiones, veluti in capitulo Moguntino, cui sede vacante alii principes tum officium archicancellariatus in comitiis, tum functionem decani in collegio electorali concedere nolunt. Iure ergo novo *decretum* hic pontificis requiritur, quum coadiutoris datio maioribus causis adnumeretur per *cap. 1. X. de cler. aegrot. in 6to.* Praeterea (II) prohibuit, ne appellatio admittatur pro impediendo *confirmationis* futuro effectu, quum ante eam rationabiles causas debuisse allegare contradictor, quare electus non esset confirmandus. *c. 46. de appell.*

*In feudi: furu-
ra collario pro-
missi potest.*

§. XXIV. Ad ius FEVDALI nos ordo dicit, in quo itidem nonnulla circa argumentum nostrum consideranda occurunt. Ex eo ante omnia huc referri potest (*I*) *feudi exspectatiua*, qua dominus feudum nondum vacans sub conditione et in casum aperturae promittit. Has exspectatiuarum concessiones adprobat per illud. Dn. cancellarius A LVDEWIG in *diff. de different. iur. Rom. et Germ. in pacl. de superfl. hered.* quamvis alias nequicquam *legi 30. C. de pacl.* per ius Germanicum detrahi patiatur, ut supra iam monitum. Hoc casu itaque attribuit ius futurum exspectiuario, quum vasallum praesentem sine legitima causa feudo priuare idque alii concedere nequeat, exspectiuarius vero spem succedendi post mortem possessoris sine heredibus feudalibus nanciscitur. Confirmat autem dominus vel princeps hanc feudi promissionem vel per litteras sacro encaulito munitas, vel per *superinfeudationem*, quam STRUVIVS in *iurisprud. feud. cap. 9.* §. 4, vocat *investituram de successio-*
nis

ris caducitate, vel in casum mortis; dum futurum saltim casum respicit et euentualem successionem. Licet autem exspectuarii ius praefens succedendi in casum mortis usque possessoris quiescat: impedire tamen quoquo modo potest omnia, quae a domino in futurae successionis praeiudicium attentantur: protestando contra instantem bonorum, quorum successionem exspectat, promissionem alii faciendam, cetera. Neque vero iniqua iure Germanico eiusmodi de feudi viuentis promissione in casum, si vacauerit, dispositio dici potest: quum dominus disponat in huiusmodi pacto de iure suo, cuius deuolutionem praeuidet, citra nullum possessoris praeiudicium, cuius ius morte exspirat. Neque metus infidiarum maculam huic pacto attribuit, a quibus aliena sunt generosa pectora; quamvis per accidens interdum audiantur suspiria: wären zwey Augen tott, so wäre ich aus aller Noth. Adeoque generatum adfirmari nequit, exspectatiuum semper sine vlo possessoris incommmodo concedi, quod tamen facile deuorare potest.

§. XXV.

Praeterea (II) ad feudi praeccipue antiqui alienationem adgnatorum omnium ius a primo adscendente habentium consensum necessario requiri, regula est: ac tantum abest, vt alienatio iis inuitis facta, iis praeiudicium inferat, vt potius nulla sit, et reuocari ab adgnatis suo tempore possit. Quodsi tamen consultius eis videatur, rem eo magis integrum seruare, protestari contra instantem alienationem et oppignorationem non prohibentur, quid quod contra intentatam alienationem impetrare possint mandata de non alienando sine clausula, v. BETSIUS de paci, vel mandata illustr. cap. IV. §. 3. quia faciliorem sibi hoc modo reddunt adgnati iuris futuri persequitionem. Idem multo magis beneficium competit simultanei inuestitis vel inconiunctam manum.

Protestatio contra instantem alienationem utilis.

S. C.

manum receptis, quae in Saxonia praecipue obtinet. vid.
STRVII iurisprud. feud. cap. XIV. §. 4.

§. XXVI.

*An viuente
possessore possit
peti separatio
feudi ab allo.
dio?*

Vtilis quoque hoc loco ponderanda venit quaestio: an possessor feudi, masculis descendantibus destitutus, ac tantum filias relicturus, adeoque ius succedendi in feuda post mortem eius ad agnatos remotiores deuolui nout, eos vero vel tenacissimos, et ob quocunque leue lucrum ad lites pronos esse perspectum habet, vel parum illorum indulgentiae ac fauoris erga filias post mortem suam confidit, ac proinde grauibus litibus ac contentionibus filias suas implicari metuit? an, inquam, possessor adhuc viuens ad auertendas futuras lites et in securitatem filiarum prouocare agnatos possit, ad separationem instituendam feudi ab allodio, ipso adhuc viuente? et num agnati litem de praesenti super iure futuro succedendi in feuda et qualitate bonorum contestari teneantur? Excipere etenim agnati possunt, ius iis succedendi praesens ante ipsius mortem non esse delatum, adeoque iis super futura successione litem excitari non posse, sed controversias has, ad tempus successionis futurae esse differendas: quum ad futuras et nondum motas dirimendas nemo adstringatur, nec cedere alter alteri quid possit, quod nondum habet. Quid si praeterea ex aliis causis agnatorum interfit manus cum praesente possessore non conserere? quia ille forsitan fauore fulcitur principis, et magna in aula pollet auctoritate, qua perterriti agnati iura sua acriter defendere extimescent, ac nimium possessori indulgere coguntur, ne ille principem vel alios suos in aula adhaerentes sibi infectos reddat. Quis quaeso, his circumstantiis concurrentibus, agnatorum exceptionem *nondum competentis actionis minime fundatam iudicaret?* si lites has

has cum possessore fugere omnes neruos intendant, faciliorem post mortem possessoris ad ius suum persequendum exspectantes exitum causae. Evidem ut plurimum hodie solent peti et decerni eo nomine commissiones, quibus adgnati quidem se immittere possunt, sed inuiti non tenentur; reuera enim in hac separatione feudi ab allodio id agitur, vt causa *futurae successionis* inter adgnatos et heredes allodiales, antequam eo nomine agi queat, determinetur, quod principiis cap. I. propositis e diametro repugnat; viuentis enim non est successio, multo minus declaratio peti potest de futura successione in haec vel illa bona, quod tamen hac petita separatione intenditur. Alia tamen patri pro salute filiarum sollicito superfluit remedia, quibus futuram filiarum successionem in tutto collocare potest loco, videlicet recursus ad examen testium extraordinarium: translatio possessionis bonorum, quae iure allodiali se possedisse credit, in filias, etiam per constitutum possessorum, ne haec post mortem ab adgnatis illis praeripiatur: sollicitatio apud curiam feudalem, quo possessori et adgnatis feudalibus iniungatur, vt *dinumeramentum seu catalogum rerum in feudum datorum exhibeant*, quem iuste sibi exhiberi desiderat curia feudalis, vt docet SCHWEDER de dinumeramentis §. 5. *Sqq.* quia domini feudi maxime interest, habere eiusmodi catalogum perfectum, quo exorta quaestione vel lite de *vnius alteriusque qualitate, an allodialis vel feudal sit, atque de pertinentiis feudi, non altius quaerenda, sed statim in promiu sit probatio*, vt ait SCHWEDER cit. l. §. 7.

§. XXVII.

Denique etiam IUS PUBLICVM non minus ac ceterae iuris partes ratione argumenti nostri est foecundum. Ita *capitalatio caesarea*, quae insigne in iure nostro I publico *In iure publico
iuribus futuris
proficitur fla-
tibus imperii
per capitalatio-
nes.*

66 CAP. II. DE REMEDIIS, QVIBVS IVS FVTVRVM

publico facit momentum, futuram respicit statuum imperii securitatem, qua se se muniunt contra futura et imminentia grauamina, quae libertati eorum optime fundatae variis modis insidias straunt. Evidem nemo inficias ibit, imperatorem, nulla etiam extante capitulatione, obstrictum nihilominus esse ad iura statibus intacta relinquenda, sicuti ea intacta conseruarunt status iis temporibus, quibus capitulationes tales in ea forma imperatori haud praescriptae fuerunt, quales nunc praescribuntur. Etenim quilibet electus imperator tacite se obligatum a prima electione scivit, ex formula delati imperii generali, ut statibus iura semel quae sita illabata relinqueret. Quicunque enim, praecipue hodie, augustissimum imperatoris Germanici nanciscitur diadema, persuasum omnino habere debet, se regibus ac summis principibus regali dignitate ac iuribus praeditis imperare, non vti alii Europae reges inferioris longe conditionis subditis. Hisce tamen non obstantibus, consultius visum fuit statibus, ad iura sua in posterum illibata conseruanda, capitulatione scripta in certa et determinata capita magis imperatorem constringere, quam iuribus suis ab eo infractis remedia querere. Tendunt huc plerique articuli, qui ad instar *legis publicae* sunt, secundum quam futurae contentiones praecaudentur, et quae e re imperii esse videntur, determinantur. Quae media autem huc potissimum tendant, ut inter caput et membrum unio, quantum fieri potest, conseruetur, grauissimi argumenti res est, a scopo meo aliena, quam intactam hic, curis eorum, quorum interest, relinquo.

S. XXVIII.

*Item per pro-
sestionates, quod* Introducio primogeniturae ad ea aequa in argumen-
to nostro est accommodata, qua solis in pos-
terum

sterum primogenitis successio per praesentem dispositionem et conuentione defertur, exclusis postea natis a successione in principatum vel ducatum, appanagio modico pro conditione relicto. Quodsi igitur per vnam inter omnes, qui spem succedendi aequalis haec tenus haberunt, conuentione ius primogeniturae in domo aliqua introductum, atque stabilitum pro more in imperio nostro ab imperatore confirmatum, dubium nullum superest, quin eo ipso omnibus in futurum post conuentione initam nascituris praeiudicari queat: quibus quum nullum ius quae situm sit, etiam iis per praesentem conuentione nihil ablatum dici potest. Quodsi e contrario aequalis successio in aliquo comitatu vel principatu obtinuit haec tenus; pater vero, ut maior splendor domui accedat atque maneat, primogenito regimen, postgenitis vero congruam adsignet sustentationem, recte postgeniti ad aequalitatem prouocant, atque si eiusmodi intentata nouatio ius eorum sernel quae situm tollere intendat, protestatione sollemini diffensum declarant, sibique remedia ad ius suum suo tempore persequendum competentia referuant. Contra idem protestationis beneficium in promptu est primogenito filio, si ius primogeniturae in principatu aliquo iam a longis temporibus introductum atque obseruatum; pater vero, aequo erga omnes suos liberos ductus affectu inter singulos filios territorium vel principatum diuidere conetur: eo casu primogeniti sibi contra instantem diuisiōnem protestatione consulere debent, quo dislensum suum declarant et ius futurae successionis integrum conferuent. Conf. A LV-

DOLF de introd. iuris primog. aphor. 14.

§. XXIX.

Exempla protestationum in aliis materiis visitato-

I 2

rum

*declaratur ex
materia pri-
mogeniturae.*

Et alii similiter adhibitorum consilio in actis publicis et historia Germaniae tam frequentia sunt, ut qui ea colligere et explicare vellet, in immensum mare se se immitteret. Generatim tantum monemus, eundem usum protestationibus, quem supra in negotiis priuatis ostendimus pro iure futuro conseruando, tribuendum esse in actibus publicis, ceu euincit LYNCKER de grau. extrai. cap. 9. P. II. §. 4. n. 1. adiungens ex hoc remedio gloriosum et inuidium protestantium nomen natum esse. Frequentiam protestationum in comitiis IDEM c. l. n. 5. indicat, et acta publica loquuntur. Ita protestantes d. 17. Maii 1654. coram Caesarea Maiestate protestati sunt, wegen der Puncten so bei Verlelung des Reichs-Abschiedes angemercket worden, daß sie der Abrede nicht gemäß, und dahero auszulassen oder zu ändern. Si de iure praecedentiae inter legatos contenditur, et unus legatus de facto praecedit: sollemniter protestari reliqui solent, ne actus de praesenti de facto susceptus in futurum perpetuum vergat praeiudicium. Hac etiam alii principes sibi propiscere solent, si potentior forsan in praeiudicium superioritatis territorialis via facti quid suscipiat in territorio alterius, quando ad vim vi repellendam se haud pareret agnoscant, ne eiusmodi factum in futurum in consequentiam trahatur. Atque conseruant hoc modo ius suum in futurum, quod de praesenti via facti infringitur, sollemni protestationis instrumento alteri transmesso, in quo causae et fundamenta, ob quas contradicunt, referri debent. Nec rara sunt exempla protestationum circa punctum deputatorum, visitatorum, acceptandae reuisionis, cognitionis nuncii apostolici, conclusi deputatorum et ordinationis iudicij aulici adducta a LIMNAEO in add. poster, ad lib. 3. iur. publ. cap. 7. n. 3. et ad lib. 9. c. 1. n. 167. ibi

anno

anno 1608. Reprotestationis exemplum adfert LYNCKER
cit. trax. cap. IX. P. II. §. 4. n. vlt. der Stadt Edlin vom
27. Octobr. 1670.

§. XXX.

Ad ius autem in futurum conseruandum accom-
modata inter gentes in primis est *guarantia*, quae in cau-
sis publicis idem praefstat, quod in causis priuatorum eu-
tionis praefatio promissa, quae in specie inter superiores
ratione commerciorum, successionis, terrarum, prouin-
ciarum, de quibus lites, iurgia et bella imminent, obti-
net, ceu explicatum in *diss. DN. PRAESIDIS de vſu et
comm. paſt. de praef. euict. cap. III. §. 1.* et in *dissert. de natura
et in dolo ſanc̄tionis pragmaticae c. II.* vbi *vſus garantiae* in
causis publicis plenius exemplis illustribus commononstrat-
us. Huius praefatio praecipue promitti a mediatoribus
folet, ad sancte in futurum seruandas confoederationes,
pacis compositiones, aliasque publicas transactiones
*eisque in maiorem affec̄urationem et firmitatem adiicitur, et fo-
derativa eo quasi munimento vallantur.* Semper tamen in eius-
modi *guarantia* confiderandum 1) quid actum fuerit inter
pacifcentes, adeoque formula eius diligenter ponderan-
da: 2) interpretatio eius ita facienda, vt communis rei-
publicae pax et tranquillitas, quantum fieri potest, con-
seruetur, ne ad maiora mala excitanda, contra mentem
et intentionem pacifcentium excoigitata, fuisse videatur.
Neque enim ad hoc ſe adſtrinxisse credendi ſunt pacifcen-
tes, vt cum detrimento reipublicae quiduis pro imple-
da *guarantia* audere velint.

*Huc quoque
peripherie gua-
rantia.*

§. XXXI.

Plura addi potuisse exempla lubenter confiteor, *Conclusio.*
ac facile quilibet, titulum huius dissertationis voluens ani-
mo, perspiciet, argumentum arduum ac latissime diffu-

sum me pertractandum suscepisse, vt, si omnia exhauriri ex professo deberent, dissertatio atque specimen academici laboris huic rei haud sufficeret. Pro re nata tamen summa rerum capita tetigi, licet argumenti conditio tractatum exposcere videatur. Nec metam dissertationis transgredi volui, ne dum limina dissertationis nimium excurrerem, tractatum conscribere voluisse viderer, cui operi me imparem committere non ausus sum. Sufficere igitur visum est, distincte quantum valui, explicasse, quid in genere de iure futuro dicendum, et quaestione, an et quatenus pro eo declarando agi possit? soluisse, cui exempla ex iure *praecipua* superstruxi, quae lucem quandam tractationi nostrae adferre visa sunt. Si aliquo modo res successit, id fidelibus doctrinis et informationibus illustrium huius academie procerum vnice deboeo, quas Halae per triennium imbibere licuit, quosque ad cineres usque veneror. Defectus excusabunt mediocritas ingeni, et vires iuuenis tenues atque exiguae, solidiora tamen edoceri a quolibet, paratissimi.

T A N T V M .

C O R R I G E N D A .

pag. 4. lin. 10. ut addatur *adeo* p. 6. lin. penult. pro *contrah.* lege *contrah.*
 p. 10. lin. 1. pro tum et natura lege tum ex natura lin. 3. ante fin. pro obseruantia lege obseruantiam. p. 11. § 9. lin. 3. L. 11. §. vlt. addatur D. p. 13. §. 11. lin. 2. pro fit lege fit. p. 14. lin. 10. post allegat. *Knipcb.* addatur Nec iuris rationi aduersum videtur, vt etc. p. 16. lin. penult. lege *chirographum* p. 17. lin. 15. pro essent lege effet. p. 24. lin. 9-10. lege argumento. p. 25. §. 2. lin. 13. lege *dec.* 295. p. 27. lin. 13. lege *vtilitas.* p. 28. lin. 4. 5. pro perdenti lege pendenti lin. 8. lege *dec.* 411. lin. 13. lege *dec.* 64. p. 32. §. 6. lin. 20. pro *num.* leg. *nou.* p. 37. lin. 20. lege *dilatum.* p. 43. lin. 1. delectatur *remedium* lin. 23. pro *actio* lege *actione.* p. 47. lege se valde timere, ne non p. 48. §. 17. lin. 13. pro ab lege ob p. 49 lin. 8. lege *dec.* 285. §. 18. lin. 5. pro *concursu* lege *concursi.* p. 51. lin. 7. lege n. 379. lin. 19. pro etc. lege et cap. p. 54. lin. 7. lege ad L. 1. C. *depact.* p. 55. lin. 4. pro *successione* lege *succesores.* p. 56. lin. 5. ante fin. pro et lege ex. p. 62. §. 24. lin. 10. post verbum *itaque* addatur dominus.

GENE-

GENEROSISSIMO DN. RESPONDENTI
ET
HVIVS DISSERTATIONIS AVTORI
S. P. D.
P R A E S E S.

Iurisprudentia non sine ratione inter *prudentiae* species refertur, quod vias certas et optima atque conuenientissima tradat remedia, quibus quilibet contra anfractus aduersariorum et insidias imminentes se munire et hoc modo sibi, iuris sub tutamine, prospicere possit. OWENVS quidem *epigr. LIV.* hac vsu est satyra in ICtos:

Iurisprudentes prudentes iure vocantur;

Tam bene cum studeant, prouideantque sibi.
Sed eo ipso docuit, se veri ICti officium non intellexisse, et rabulas forenses temere et per fucum merum *iurisprudentes* vocasse. Tu vero, GENEROSISSIME Dn. respondens, rectiori vsu consilio atque sanioribus ductus cogitationibus in specimine *de iure futuro* monstrasti optime varias vias, quibus eis eundum sit, qui deuia euitare, et praecauere volunt, ne in foueas et anfractus incident. Omnia recte, pro ratione studiorum tuorum, et ita solide ex principiis probatis illustrasti, vt labori tuo, mihi oblato, facile calculum addere, et meo sub moderamine, Tibi cathedram publicam aperire potuerim. Admonere quidem potuisse, Te insignia quaedam remedia, quae futurorum iurium conseruationi potissimum inseruiunt, omisisse, quorum in numero sunt *sequestratio* pro auertenda dilapida-

lapidatione bonorum, quae imminet, auertenda et
cautionum iudicialium species, vt de iudicio sisti, iu-
dicatum solui pro reconuentione et expensis, cetera,
quae futuros demum vsus, veluti *securitatem futu-
ri iudicati*, respiciunt. Sed tam perfecta omnium
remediorum, conseruandi ius futurum, enumera-
tio in specimine academico a te exigi non potuit;
praesertim cum *sequestratio* periculi plena, *cautio-
num iudicialium* materia vero vbiuis obuia et adeo
trita sit, vt ne quidem a tironibus forensibus ignore-
tur. Produxisti ergo in scenam ea duntaxat, quae
a tutori via commendata sunt, et praeterea ad va-
rios vsustendunt. Ipse tibi autor fui, ne te nimium
diffunderes, quo consilio vsus ita rem tuam egisti, vt
eruditio[nis] documentum hac dissertatione edere
posse. Per triennium, quo in hac palestra iuri ope-
ram dedisti, et meis quoque scholis sedulo interfui-
sti, ardorem animi tui in addiscendis artibus libera-
libus cum assidua et constanti alacritate atque dili-
gentia coniunctum obseruaui, atque augurium de
profectibus tuis olim faciendi scipi. Neque spes me
fefellit, quam etiam illustris Dn. de LVDOLF, came-
rae assessor meritissimus, nunc pie defunctus, in lite-
ris ad me sub ipso aduentu tuo datis de tuo proposi-
to fecit, sed euentus docuit, te illam vberime imple-
uisse. Tam insignes ergo industriae tuae conatus ti-
bi hodierno die ex merito gratulor, et, vt in hoc tra-
mite in futurum quoque pergas, et iuris tui futuri
semper memor sis, omnibus expeto votis. Dab.
d. xxv. Iun. MDCCXLII.

* * *

GENEROSISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. D.

JOHANNES ALBERTVS DE BOCKVM
DICTVS DOLFFVS
NOR. WESTPH.

Quum, inter mortales dominio atque imperio introductis, magna multitudo hominum, siue ignorantia siue dolo malo acta, sibi, nescio, quid iuris quaeſiti ſaepenumero adroget: omnino fieri non potest, quin lites de rebus et corporalibus et incorporalibus moueantur innumerae. Ad has igitur tollendas, comparata est iurisprudentia, quea ius suum cuique tribuendo, iſti foetidae rixandi libidini, tanquam praecipuae lernae malorum, os quaſi occcludit. Sicuti vero iustitiae sacerdotibus, conterentibus fere actatem suam in litibus, genus humanum debet plurimum, videns, quanta sit eorum opera in agendis, dirimendis ac diiudicandis iamiam motis controverſiis: ita quoque proſrus exifti mandum eſſe puto, quod non minoris faciendum sit illorum ſtudium in CAVENDO, respiciens videlicet partem totius iurisprudentiae nobiliorem ac propediunam. Secundum illud enim oſtentunt, quomodo obuiam eundum ſit contentionibus futuris, aut ſaltim, qua ratione in prima velut herba ſuffocari poſſint litigia, et farta tecta feruentur iura nobis olim competitura. Uſus huius iurisprudentiae heurematicae; vt audit, eſt immensus pariter atque

K

atque

atque apertus: quem vero, metueris; ne epistolae gratulatoriae transgrediar fines, relinquo in medio, partim, quod iste iam pridem a multis viris praestantissimis fuse demonstratus fit, partim vero, quod a TE AMICE SVAVISSIME, in hoc specimine TVO scientiae legitimae doctissimo hunc doceamur breuiter et absolute. Qua de re nihil superesse arbitror, quam vt TIBI de molimine tam feliciter ad finem perducto ex animo gratuler. Ostendisti hocce TVO scripto perquam eruditio, quo virtus in studiis possit eniti, etiam academicis. Nam doctrina eius generis, plane referta singulari prudentia, omnino videtur originem trahere ex vero et longo rerum vnu. Quam autem iste in curriculo academico adhuc desideretur: ponendus est sane labor indefessus ac sedulitas continua ad differendum et scribendum de digniore iuris parte, a qua lureconsultos maxime nomen, credo, adeptos esse prudentum. Age itaque AMICE SVAVISSIME, TIBI laetissimus applando, et enixe precor summum Numen, vt in TE redundare sinat fructus diligentiae atque sagacitatis TVAE uberrimos! In primis autem TE abitum hinc parantem, volo proficiisci omnibus optimis, valde optans, vt TIBI in dulcissima patria contingat fors et fortuna, quam virtus TVA morumque suauitas meretur, exoptatissima. Ceterum TE vt in ea fide amicitiae, qua per iucundissimam consuetudinem adhuc erga me vnu es, etiam in posterum absens permanere velis, vehementer rogo, promittens, TE mead omnia officiorum genera habiturum esse promtum atque paratissimum. Vale. Halae, die xxvi. lun. clo lccxxl.

Quas

Quas TIBI maiorum proponunt atria ceras,
Illarum agnoscat TE sibi quaeque parem.
Nam TIBI celorum nunc ius euincis honorum,
Qui tam sollerter iura futura doces.

H. KELLINGHVSEN

Hamburg. Opponens.

Ne lateat virtus clarissima, qua TIBI pulcre
Aurea mens, pectus, iudiciumque micant:
Doctrinam, GENEROSE, TVO de corde salubrem
Artis et ingenuae lumina para vibras.
Iura, aetas nobis quae vult conferre futura,
Tuta patrocinio cernimus esse TVO.
Quis sero saperet TVA post conamina stultus?
Queis damna incantis effugienda doces.
Rex, et subiecti, dominus seruusque, maritus,
Sponsaque, iuncta torae, filius atque pater,
Ac miles, clerus, nobiles, et quilibet alter
Integra iura valent perdidisse sua.
Sic praeclara facis, sic strenuus ardor honesti
Inclyta magnamimae pectora pubis agit.
Numina dent vitam, dent omnia prospera, qui nunc
Magnus es, vt quondam maximus esse queas.

Hanc obseruantiae suae in auctorem
generosissimum huius differentiationis tesseram, gratulabundus
adficere voluit, debuit

VLRIC. BOG. AVERDIECK,


Pomer. Opponens.



Halle, Diss.) 1741

Ab. B. A.







32
1741,2

DISSE^TRAT^O IVRIDICA
DE
IVRE FVTVR^O
QVAM


PRAESIDE
REGIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE
Dn. IVSTO HENNINGIO BOEHMERO IC^{To}
POTENTISS. BORVSS. REG. A CONSIL. INTIM.
ET ORDINIS IC^TORVM VICARIO PRAESIDE P. P.
D. XXX. IVNII A. G. MDCCXL.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

H. L. Q. C.

SVBMITTIT

A V C T O R
LEONHARDVS REINHARDVS A DIEST
EQVES CLIVENSIS.



HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

